V c
1410

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-18049-p0001-6

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-18049-p0002-1

h XVI, 2.
Qk. XVI, 2.
Eg.
Vc 1410

N. P.

ELECTORATUM
FRIDERICI BELLICOSI
Indultu Superiorum
Proponit,
PRO LOCO
Apud inclytum Philosoph.
Ordinem impetrando,
Prima vice disputaturus
M. JOH. GEORGIUS Hahn /
Dresd. Misnicus.

Ad d. *M. DC. LXXVIII.*
H. L. Q. C.

LIPSIÆ,
Typis COLERIANIS.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-18049-p0003-7

BIBLIOTHECA PONICKAVIANA

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK HALLE (SAALE)

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-18049-p0004-2

N. P.

§. I.

COgitanti ex Hiſtoria Saxonica diſputationis argumentum, occurrit Fridericus Bellicoſus,† cujus & maxima ſemper apud univerſos æſtimatio, & utiliſſima Imperio Germanico opera fuit. Qvi tantò magis proponi publicè, & proferri in lucem debet, qvantò is feliciorem olim Misniæ, & impetrata Electorali dignitate Anteceſſoribus eminentiorem Principem præſtitit. Nolim verò, ſibi qvisqvam perſvadeat, juſtis me omnia ejus acta temporum intervallis diſtincturum: nam nec Principis illud amplitudo, nec noſtrum patitur inſtitutum, nunc enim in eo potiſſimum labor noſter atqve diligentia verſabitur, ut, qvo titulo ac jure Auguſtam Electoratus dignitatem adeptus fuerit, ex publicis certisqve monumentis afferamus atqve vindicemus, eâ tamen tractationis ratione modoqve, ut alia etiam, qvæ Hiſtoria Friderici ſuppeditabit, & ad

laudem ejus commendationemq; pertinebunt, simul adducamus.

† *Immensi res esset operis, Autores, quotquot vel ex professo describendæ Friderici nostri vitæ operam impenderunt, vel per occasionem eandem illustrârunt, exhibere hîc ad unum omnes; sufficiat pro instituto allegasse, quorum ad nos notitia pervenit. Ac memorandi adeò sunt* Ge. Fabricius in origin. Saxon. *&* Elector Petrus Albinus in Misn. rer. Commentar *&* libro progeniei Wittikindeorum, *cui titulum* Stambuch *præscripsit*, Laurentius Peccensteinius *in* Theatr. Saxonic. *Augusti & Christianorum I. & II. Electorum Saxoniæ Historiographi; Tum* Georg. Spalatinus, *exploratissimæ vir industriæ, ingq; Historia Saxonica tabulariusq; multo cum studio versatus,* in Chron de orig. El. Sax Balth. Mencius *&* Wolfgang. Crausius in vita ejus. *Jungendus his est* Autor libri vom Stamm und Ankunfft des hochlöblichen Hauses Sachsen/Anno 1587 Magdeburg. editus, *quem* Adamo Richtero Schmidius, *cum de Friderico Bellicoso disserit,* in Chron. Cygnens. pag. 116. *tribuit;* Laurentius *item* Faustus in explicatione Germanica Stemmatis Saxonici, *cautè tamen adhibendus, quod confusè sæpius, & non semel etiam præter fidem in Genealogiis explicandis versatur. Post hos legi possunt* Albertus Cranzius in Saxonia, *iniqus tamen nonnihil, cum de translata in Fridericum dignitate disputat,* David Chytræus *&* Cyriacus Spangenberg. in Chron. Mansfeld. & Specul. Nobilit. *rerum Saxonicarum oppidò periti, nisi quod in* Chytræo *varium quid & mutabile conspicias, forte quod primò à* Crancio *correptus, deinde rectiùs edoctus quædam mutâsset. Nec omiserim hîc* Mathæum Dresserum in Millen. VI. part. II. de Elector. Saxon. *ac* Chronicon Saxoniæ à veteri quodam Monacho compositum, & à Johanne Pomario cultiori idiomate Germanico expolitum, ac deinceps operâ Dresseri hujus continuatum ad Ann. 1423. *Nec non* Johannem Cuspinianum in Sigismundo, Brunnerum Triad. Elector. Politic. Phil. Jac. Spenerum in Sylloge Genealog. Mollerum in Chron. Fribergens. *ac* Sigismundum Birckium in Sächsischen Helden-Saal/ novissimè publicato. *Facit insuper ad hoc institutum* Autor Atrii Heroici Cæsarum, regum &c. imagini-

ginibus & iconibns illuſtrati & anno M. DC. Auguſt. Vindel. editi, *qvem Electoralis Dresdenſis Bibliotheca aſſervat; cui ex JCtis addi poſſunt* Ludov. Perſona in Orat. de Witteberga, Andr. Knichenius, Frid. Hortlederus de Cauſ. bell. Germ. lib. IV. c. 9. part. 1. Joh. Limnæus J. P. Lib. III. c. 10. & Joh. Strauchius diſſert. Exoter. XI. p. 322. ſeqq.

§. II.

Sed priusqvam eo labore, cujus gratia inſtituta præſens tractatio eſt, defungamur, ex ſuperioribus & Friderici noſtri tempora antegreſſis actis afferri qvædam debent, cùm ut veri ejus in Electoratu Anteceſſores intelligantur, tum ut commodiùs ad expediendum negotium noſtrum tranſire qveamus.

§. III.

Ordiar itaqve ab Aſcaniis, in qvibus † Saxonico Septemviratui auſpicia data ſunt, nominatim in Alberto I. †† filio Bernardi Comitis de Anehold, qvi in exilium acto Henrico Leone, univerſæ ante hac Saxoniæ Domino, primus ††† ex Aſcaniis à Friderico Ænobarbo, Anno M. C. LXXX. in Comitiis Herbipolitanis Dux Saxoniæ ritu ſolenni creatus inauguratusqve eſt.

† *Non varias nos hîc de Autore Septemviralis ordinis variorum opiniones operoſiùs examinabimus: Explosa jam dudum eſt* Martini Poloni *& ejus aſſeclarum opinio, qvâ ab Ottone III. Imperatore, communicato cum Gregorio V. Pontifice decreto, Electores introductos eſſe tradiderunt; Nec qvæ Ottonem IV. apud* Melchiorem Goldaſtum Tom. III. Conſtitut. Imperial. ad Ann. 1209. *autorem allegat, verior*

verior est traditio; quò pertinent illorum sententiæ, quæ Carolo M. Henrico II. Conrado II. Friderico I. Augustissimi Collegii hujus initia tribuunt; ut nil postremò de Marc. Zw. Boxhornio *dicam, qui Ludovici IV. Arnulfi filii, ævo institutos Electores credidit,* Histor. Univers. p. m. 560. *Vid. tò omninò* Herm. Conringius in Not. ad Lampad. part. III. c. 4. §. 1. seq. & de Republ. Imp. Germ. in disp. V. de Septemv. §. 23. seqq. Henr. Hahnius in Tract. de jure Imp. German. &c. p. m. 56. seq. Joh. Freinshemius in diatribe de præced. inter Elect. & Cardinal. p. m. 61. seq. Er. Mauritius in Disput. de Orig. Elector. Kiloni anno 1667. habita, Abrah. Urbanus in disput. de Imper. Elector. Argentorati An. 1674. habita, *aliq;, qui prolixè hoc argumentum persequuntur. Nobis hic satis est, ex veris minimeq; suspectis monumentis confirmari posse, ab Ascanius primam Electoralis Eminentiæ (apud Saxones) originem esse derivandam: ut perperam eam adeò ob causam nonnulli ante hos in medium afferant Electores Saxoniæ, quorum in numero ponimus* G. Bucelinum in Hist. Agilolfing. p. 397. & part. III. geneal. p. 40. G. Spalatinum in Chron. Sax. Tit. II. Petr. Albinum Commentar. rer. Misn. tit. XVI. G. Fabricium in Elector. Saxon. Ludovicum Personam in oratione de Witteberga, Laur. Faustum in explic. Stemm. Saxon. *aliosque, cum quibus etiam, quod mireris,* Joh. Strauchius *facit, cuius tamen alioqui in rerum publicarum multo studio comparata notitia est, quando in* dissert. Exot. XI. p. m. 321. *Billingi posteris ac duobus Henricis Guelfis Electoratum tribuit. Ubi ne isti quidem ferendi, sed in judicio civilis historiæ notandi sunt, qui Bernhardum, Alberti I. Patrem, inter Electores numerant, ut* Balth. Mencius in Stemm. Saxon. Cyr. Spangenberg. Chron. Mansf. part. 1. c. 261. p. 309. Ern. Brotufius Chron. Anhalt. lib. 4. col. 64. Matth. Dresserus Millen. VI. part. II. *aliq;.*

†† *Is primus in illo temporum motu, (quo Innocentius IV. Pontifex Fridericum II. Imperatorem diris devoverat, ac uti loquuntur, excommunicârat) cum Archi-Episcopis Moguntino, Coloniensi, & Principibus Imperii officialibus elegit Henricum, Thuringiæ Landgravium,* vid. Albert. Abb. Stadens. ad Ann. M. CC. XLVI. coll. cum Ann. M. CC. XL. *Ex quo tanquam συγχρόνῳ Historico in hoc capite corrigendi sunt* Ge. Fabricius in Elect. Saxon. p. 16. & Balth. Mencius

Mencius orig. Duc. Saxon' in Alberto II. *qvi, qvod Alberto I. ascribendum fuerat, IIdo tribuunt : falsò tamen & contra numeri rationem: hoc enim tempore penes Albertum I. Ducatus adhuc fuit, qvi Anno M. CC. LX. primum mortuus est, velut Ascanicarum rerum Scriptores hîc consentiunt, Henricô Landgraviô jam tum Anno M. CC. XLVII. & sic altero post electionem anno, defunctô, vid.* Stadens. ad h. Ann. & Paralip. Ursperg. p. m. 330. *Ubi merito tamen oligarchicæ Electionis actus, & ipsius Electoratus privilegii scripti jure firmatum munus discerni à se invicem diligenter & cum accuratione debent. Istum Albertus I. cùm Henricum Thuringium cum Collegis eligeret, exercuit: Eo enim tempore electio ad omnes adhuc pertinebat, neqve certo numero definitum electionis jus acqvisitum erat, ac adeò non lege aliqva aut ordinatione obligatus, sed sive obseqvio in Pontificem, sive imperialis * officii dignitate, sive alia forsan causa inductus novum hunc & hactenus insolitum electionis modum Albertus auspicabatur, qvanqvam hac ratione posteris suis muniverit viam, & Electorii juris ad paucos redigendi initium fecerit. Hujus verò Epocha in Alberto filio, II. hujus nominis, occurrit, publico enim diplomate tabulisqve postmodum Rudolfus Habsburgius (qvem suffragio suo ** Albertus II. Imperatorem renunciaverat,) hanc per VII. Principes eligendi rationem confirmavit, qvam idem Albertus II. tribus adhuc vicibus in electione Adolphi Nassovii, Alberti Austrii, ac Henrici Luzelburgici adhibuit, & sic iterum iterumqve repetito actu Electoratum ad posteros successoresqve transmisit, qvibus Sec. XIV. publicâ valiturqve in perpetuum Imperii lege ac Constitutione, à Carolo IV. Ann. M. CCC. LVI. est confirmatus atqve stabilitus. Verùm qva causa fuerit, cur, cum plenè & legaliter jus designandi suffragio Imperatoris haberent, abstinerent nihilominus initiò à scriptione tituli Electorum? vocari hîc in qvæstionem posset; Et*

* *Non multùm repugnarim, si qvis dixerit, Electionem hanc Oligarchicam propter ministeria augustalia tentatam fuisse; qvia enim ea jam ante Fridericum II. hæreditario jure parta erant, facilè ad eam Albertum Collegasqve incitare, & eâ ratione introducendi Electorum ordinis, turbido præsertim tempore, occasionem præbere potuerunt, qvod nec ipse* Conring. disp. de Septemv. §. 30. *diffitetur.*

** *Negat* Alb. Crantius *illud qvidem, qvando* lib. IX. Sax. cap. 19. *scribit:* NEMINEM INTER DUCES SAXONIÆ ELEGISSE ANTE RODULPHUM *&c. Sed ejus non tanta hic est autoritas, ut fidem adhibeamus, qvod longè aliter se habere, ex* Vet. Chron. Saxon. ad Ann. 1273. *it* Alb. Argentin. Chron. p. 100. & 150. collat. G. Spalatino Chr. Sax. tit. II. B Mencio in Alberto II. *aliisqve demonstrari potest.*

Et prudentiæ illorum ego illud adſcribendum putaverim, partim ut nulli contradictioni reliqvorum Principum occaſionem præberent, qvæ oriri facilè illâ eminentiori tituli ſcriptura atqve uſu potuiſſet, præſertim recenti adhuc illa dignitate, partim etiam ut jus hoc aliqvibus legitimè factis actibus roboratum, eò magis extra invidiam ponerent. Ut falſum eſſe oporteat Melch Goldaſtum Heiminsfeldium, *qvando* in Polit. Reichshandl. *plenum Alberto II. Archi-Marſchalli ac Electoris titulum adſcribit,* part. 1. ad An. 1291, *repugnat enim ævi iſtius ſtylo, ac Curiæ Saxonicæ uſui pragmatico, uti qvidem diplomata ab Aſcaniis Electoribus confecta editaqve hoc evincunt; qvi mos adeò ſervatus accuratè fuit, ut Fridericus etiam, ad qvem præcipuè hæc tractatio pertinet, Bellicoſus, ejusqve filius Fridericus Placidus Electorum titulo non uterentur, contenti ſcribere ſe Sacr. Imp. Archi-Marſcballos, donec ab Erneſto utraqve & Archi-Marſchallatus & Septemviratus dignitas primò omnium in ſcripturam tituli redigeretur. Qvod obſervandum contra* Cyriac. Spangenbergium *eſt, qvi* Chron. Mansfeld. part. 1. c. 311. pag. 360. *ſeqventi modo Fridericum noſtrum ſe ſcripſiſſe tradit: Fridericus, Dux & Elector Saxoniæ, Landgravius Thuringiæ, Marchio Miſniæ, & Palatinus Saxoniæ &c. in qvem errorem etiam* Balt. Mencius in Frider. bellic. *impegit, obſervante id & caſtigante* Co. Sa. Schurzfleiſchio, *qvem vide fusè & exqviſitè hæc omnia explicantem in* Not. ad Albert. anim. Vitam lit. M. 4. b. ſeqq. in diſſert. Hiſtor. ad Friſ. Junior. lit. C. de Vitric. Lit. D. b. *aliisqve in locis.*

††† *Arbitror hîc non intempeſtivum fore, ſuſcipere eum laborem, ut, qvi in Ducali dignitate anteceſſerint Bernhardum, & qvis primus omnium cum civili imperio, vel qvod idem eſt, hæreditarii Ducis nomine Saxonibus præfuerit, paullò diligentius ex antiqvis monumentis eruamus. Qvi Wittekindum M. eò allegant, uti allegant* Mart. Milagius, *qvando in* brevi & ſummaria relatione p. 25. *Wittekindum à Carolo M. in magnum Ducem Saxoniæ inveſtitum tradit;* Joh. Palatius Aqvil. Franc. p. 66. & Aqvil. Saxon. p. 7. 8. *dum Ducem eum Saxoniæ & Principem appellat;* Laurent. Fauſtus in explicat. Stemmat. Saxon, p. 32. Ludov. Perſona orat. cit. *aliiqve, illi oppidò falluntur, nec ullo vero documento probabunt, qvandoqvidem Caroli M. tem-*

M. tempore neqve Magni Duces Saxoniæ (qvales nec hodie Germania habet) fuerunt, neqve eâ tunc potestate Duces sunt gavisi, ut plena ac hæreditaria lege aliis præessent, qvippe qvi simpliciter provinciarum Rectores essent, ac hæreditarium jus post Wittekindi demum tempora, cùm Francicorum Imperatorum antiqva autoritas eviluisset, ac dissidiis bellisqve labefactatum illorum imperium esset, à Saxonibus posteris acqvireretur. Neqve Corbejensis Monachi *testimonium pro se nominare possunt, utpote qvi nudè tantùm Wittekindum, ob gestarum rerum magnitudinem qvadam loqvendi figurâ, Magnum Ducem, non verò cum adjectione Magnum Saxoniæ Ducem nominat,* lib. 1. Annal. Sax. pag. 10. *qvòd illa ætate provinciæ ac regiones scripturæ titulorum non adderentur. Mihi ii Historiæ convenienter scribere videntur, qvi in Ludolfo, Heinrici Aucupis Avo, hæreditariorum Saxoniæ Ducum Epocham constituunt. Qvod cur sentiam, partim* Wittichindi *Saxonicarum rerum sine dubitatione verissimi scriptoris, autoritas me movet, ex cujus allegato* Lib. 1. Annal. p. 67. *colligamus, Ludolfum hæreditatis lege Saxoniam tenuisse, & primum Ducis cum adjectione Saxoniæ titulum assumpsisse; partim etiam, qvòd Ludolfus ipse in diplomatibus fundationum Brunteshusensis & Gandersheimensis Monasterii, Saxoniæ se Ducem scribat ac profiteatur: Qvia scriptum est, precium animæ viri, divitiæ ejus. Idcirco ego Ludolfus Dux Saxoniæ, notum esse cupio omnibus Christi fidelibus: & qvæ ibi seqvuntur, qvæ præter nostrum institutum sunt. Qvi titulus ad hunc modum formatus ante eum, qvantum mihi qvidem constat, de nemine alio, sive diplomata tabulasqve, sive Historiæ Carolinæ ac Saxonicæ veteris monumenta evolvas, invenietur usurpatus; Secus planè ac apud Agilolfingicos, qvi diu ante Duces cum adjecto Bajoariæ titulo memorantur, qvod Historiæ illorum temporum gnaris non mirum videbitur: Agilolfingi enim & ipsis Carolingis sunt antiqviores, & diu ante cœptum à Carolingicis imperium, nemini obnoxio jure Bavariam possederunt. Vid.* Sigebertus Gemblac. Chron. ad An. 860. Gobelin. Persona Cosmodrom. cap. 42. Henr. Meibomius in demonstrat. Histor. ante Billing: Saxon. fuisse Duces, & Co. Sam. Schurzfleisch in not. ad Vit. Albert. animosi. *Sed redeundum nobis post qvædam interjecta, qvæ explicationi hujus argumenti cognata & consentanea videbantur, ad*

Ludolfum est, qvi ad filios Brunonem & Ottonem, ac justo legitimoqve ordine usqve ad Ottonem M. Aucupis filium, Ducatum devolvit, qvi postqvam Imperatoriæ dignitatis particeps est factus, Hermanno Billingo, cùm in Italiam tenderet, Saxoniæ transalbinæ Ducatum, primò ut Legato gubernandum, post verò hæreditario jure possidendum concessit, vid.* Witichindus Corbej. Annal: Sax. II. p. 16. Abbas Stadens. ad Ann. 961. p. 107. Joh. Conr. Dieterichius in Hist. Otton. M §. XI. p. m. 117. *in cujus posteris usqve ad Magnum Transalbianorum Ducum ultimum perduravit, qvô sine mascula prole defunctô, Luderus sive Lotharius, Comes Supplinburgius, concessu atqve beneficiaria lege Henrici V. Imperatoris, Dux Saxoniæ est creatus atqve constitutus, vid.* Abb. Stadens. ad An. 1106. p. 150. b. *qvô ad Imperii fasces qvoqve evectô, Henricus superbus Gvelfus obtinuit Saxonicum Ducatum, inauspicatò tamen & minus prosperè, qvòd à Conrado III. post Lotharium electo Romanorum Rege proscriberetur, Ducatu interim in Albertum Ursum beneficio memorati Conradi, belliqve titulo, devolutô ac possessô, usqve dum Anno M. C. XLII. ereptum Patri Ducatum filius Henricus Leo, laborantibus aliqvot Imperii Principibus denuò recuperaret, conf. eò* diploma Conradi III. in Chron. Portens. p. 21. seq. Abb. Stadens. ad An. 1140. seq. Dav. Chytræus Chr. Sax. lib. II. p. 68. Cyriac. Spangenberg. Chron. Mansfeld. part. 1. cap. 220.

* Ubb. Emmio *Herm. Billichius audit,* Hist. rer. Fris. lib. 6. Ann. 1110. *Sunt, qvi obscuro genere natum esse, ac adeò imaginibus natalitioqve decore caruisse asserunt, qvorum primus* A. Bremens. lib. II. Hist. Eccl. c. 4. *est, dum* PAUPERIBUS ORTUM NATALIBUS HOMINEM *appellat, qvem hac in parte sequuntur* Helmold. Chron Slav. lib. I. c. 10. Abb. Stadens. ad An. 961. Albert. Cranzius *diversis locis* Sax. & Metrop. Ge. Spalatin. Chron. Sax. tit. II. Christoph. Lehmannus Chron. Spir. lib. V. c. 5. *aliiqve, sed sine fundamento & falsò omnes, illustri enim Stemmate ortus ille est. Hinc* NOBILIS *à* Witichindo *dicitur, qva vox altius aliqvid eo tempore, qvàm ævo nostro, significabat: Nam qvos hodie Nobiles nominamus, ii olim, Frilingi, liberi homines, ingenui, & sequiori tempore ministeriales, milites, militares, servi, servientes, famuli, Knapsii, non Nobiles dicebantur, uti ex plurimis Histor. veter. monumentis declarari docerique potest, conf. eò* Reinecciusad Poet. Sax. Anon. lib. I. pag 13. Goldast. Tom I. part. 1. rer. Alemann. p. 133. & Meibomiusad Chron. Levoldi Northofii de orig. Marcan. p. 40. *Contrà Nobilium appellatio Barones Comitesqve denotabat, ac cum dictione Edelingorum, qvorum post* Paul. Diaconum Hist. Longebard. lib. I. c 21 Nithardus Hist. lib. 4. c. 478. & Ad Bremens. H. E. lib. 1 cap. 5. *meminerunt. paria faciebat. Cum* Witichindo, *qvi vixit isto seculo, & familiarissimè cum Hermano est versatus, adeoqve reliqvis omnibus præferendus, consentit* diploma ad An. 955. *in avo* COMES *appellatur. vid. ex professo de eo,* Henr. Meibomius in Vindic. Billing. & in Not. ad Witichind. lib. II p. 60. Lambecius lib. II. rer. Hamburg p. 4, *vocat eum primum Sax. Ducem, qvod verum est, si de Ducibus stirpis non-Witikindiæ, secus, si in universum intelligi velit.*

220. *qvanqvam iisdem*, " *qvibus Pater Henricus pòst fatis usus, dum similiter à Friderico I. Imperatore, sumto à Conrado III. exemplo,* ** *exauctoraretur ille, Ducatusqve hâc occasione Bernhardo, ad qvem hæc commentatio spectat, ad posteros per hæreditatem transmittendus conferretur; qvæ causa est, cur primum ex Ascaniis Ducem diximus, Albertus enim Pater partim inter imperii turbas & dissentientibus multis Principibus Ducatum obtinebat, partim etiam recepto Henrico Leone eô iterum excidebat. Vid.* Alb. Stadens. ad An. 1180. pag. 197. Mart. Crusius lib. II. part. II. p. 462. Chron. Anhalt. ad. d. An. Chron. Buntingi ad d. An. Antiqvit. Brunsvic. Theod. Engelhusii p. m. 71. Joh. Nussiens. Monachus Magn. Chron. Belg. p. 192. Petr. Merssæus Annal. Archiepp. Colon. p. 63. seq. Alb. Cranzius lib. VI. Sax. c. 38. & lib. IX. c. 19. Dav. Chytræus Chr. Sax. p. m. 82. Laur. Faustus in explic. Sax. Stemm. p. 153. *qvi perperam tamen pro An.* 1180. *Annum* 1169. *posuit, aliiqve. Plura non addo, illud tantùm adhuc memoraturus, ab eodem Friderico Barbarossa Rutæ insignia Bernhardum accepisse, ac adeò non ab Alberto filio ejus aut Ottone Henrici Leonis Nepote, primordia usurpati serti rutacei, sed ab ipso Bernhardo repetenda esse. Vid. nobiscum sentientes* G. Spalatinum Chr. Sax. tit. 1. Alb. Cranzium lib. VIII. Sax. c. 28. & lib. IX. c. 19. Balt. Mencium in Bernhardo, G. Fabricium in El. Sax. in eodem, Laur. Faustum cit. loc. Joh. Limnæum J. P. lib. III. c. 10. n. 30. Phil. Jac. Spenerum Syllog. Geneal. in Fam. Ascan. p. 769. Co. Sam. Schurzfleischium in disp. de Wittikindo, *qvò conf. etiam* Rittershusius in orat. de Frider. Barbarossa p. 31.

** *Qvi fontes & capita gestorum inter Imperatores Svevos & Henricos Guelfos scire desiderat, ab eo legi possunt præter* Gab. Bucelinum, *Weingartensem Monachum, ac rerum Wesicarum, qvarum prima initia sæpe recensuit* Joh. Bapt. Pigna, *Alfonsi II. Ferraria Ducis Cancellarius, peritissimum scriptorem,* de Gvelfis, Gerhardus *etiam* Stederburgensis de Henrici Leonis gestis in Meibomii Opusc. Histor. obvius, G. Spalatinus in Chron. de eo, Cranzius, *& novissime* Schurzfleisch in dissert. de Henr. Leone A. 1675. habita, *aliqve his & horum similes.*

§ IV.

Fuit verò penes Saxo-Ascanios † Duces per C. LXXVI. †† Annos Electoralis eminentia,

legitimoqve ac non - interrupto ordine Alberto I. Albertus II. Rudolfus I. & II. ††† Wenceslaus, Rudolfus III †††† & Albertus III. propaginis ſuæ ultimus ſucceſſerunt, usqve dum morte hujus, qvâ ſine hæredibus Anno M. CCCC. XXII. extinctus eſt, ad imperium Imperatoremqve Electoratus devolveretur, ad aliam mox familiam transferendus.

† *Horum generationis ſeriem integram vid. præter Genealogiarum conditores cæteros apud* Dav. Chytræum Chron. Sax. pag. m. 69. Joh. Limnæum J. P. Lib. V. c. 3. Phil. Jac. Spenerum in Syllog. Geneal. famil. Aſcan. & C. S. Schurzfleiſchium de Vitricis lit. D. b. c.

†† *Secus hîc ſentiunt, numeriqve ineunt rationes* Math. Dreſerus Millen. VI. part. II. p. 416. & Ludov. Perſona in orat. de Witteb. *Ille ſi cum* Laur. Fauſto p. 162. *per CC. LIII. hic verò cum* G. Fabricio de Elect. Sax. in Alberto III. Balt. Mencio in Frid. Bellic. & Cyr. Spangenbergio in Chron. Mansfeld. c. 311. *per CC. XXVII. Electoralis dignitatis participem Aſcaniorum ſtirpem fuiſſe tradit, utroqve ea opinione nixô, qva Electoratus Saxo - Aſcanici primordia ad Bernhardum Alberti Urſi filium retulerunt, vid.* §. præced. not. 1. ſub finem. *Qvanqvam & ipſe* Dreſſerus *non rectè temporum rationes ſubducat, dum* 253. *annos numerat: Ab anno enim* 1180. *qvô unà cum Ducatu Saxon. Electoratum acqviſiviſſe* cit. loc. *ſcribit, adeoqve ab eo numeratio incipi neceſſariò debet, usqve ad An.* 1422. *qvô mortuus Albertus III. eſt, non* 253. *ſed tantùm* 242. *prodire annos, extra omnem dubitationem eſt, veluti hunc numerum etiam* G. Spalatinus *allegat, qvando, qvàm diu Ducalis (non Electoralis, ea enim ſeriùs parta eſt) dignitas apud Aſcanios fuerit, computat, in* Chron. Saxon. tit. II. lit. K. *Nec* Perſonæ *calculus ſe legitimè habet, dum* 227. *tantùm Annos ponit, pauciores enim ſunt, qvàm eſſe debebant: nam factô ab Anno* 1180. *qvem cum* Dreſſero *reſpicit, numerandi initiô, & ad An.* 1422. *usqve deductâ computatione, dicti* 242. *non verò* 227. *Anni eliuntur.*

Nos

Nos ab Anno M. CC. XLVI. [qvô Albertus I. primum cum Collegis paucis actum Electorium exercuit) primordium sumendum duximus, à qvo ad Annum Alberti III. emortualem usqve, 176. *annos numerabis, qvanqvam ideò Henricum electum legitimis Cæsaribus annumeratum nolimus, qvòd contra Fridericum II. qvi verus Imperator erat, est electus: nobis enim hîc satis est, annum allegâsse, qvô prima à paucis facta electio contigit. Ubi tamen non refragabimur illis, qvi ab Anno M. CC. LXXIII. qvô Albertus II. tabulis pòst publicis confirmatus Elector, Rudolfum elegit, Epocham Septemvirorum Ascaniorum cum* G. Spalatino cit. loc. lit. N. b. *auspicantur, qvâ computandi ratione per* 149. *annos durasse apud Anhaltinos asserendum erit, nam qvòd in* Spalatino 150. *Anni reperiantur, ea causa est, qvia Anno* 1423. *demum mortuum Albertum III. est opinatus. Et fatendum mihi ipsi est, ab alio anno non posse incipi, nec deberi etiam, si qvidem de Electoratu pragmaticè & legaliter ita dicto sermo sit instituendus.*

††† Dresserus *inter Rudolfum II. & Wenceslaum interserit Albertum, Rudolfi ex Fratre Nepotem, vid.* cit. loc. p. 421. *Nos secuti* Ge. Fabricium in Elect. Sax. *&* Balthas. Mencium in iisdem, *Wenceslaum Rudolfo II. successisse diximus, eò magis, qvod ab ipso Imperatore Carolo, hujus nominis IV. publicis Imperii tabulis Wenceslao Albertus post positus est, uti istud* Bullæ Saxonica Metensis A. 1357. & Saxonica Francofurtensis A. 1376. *à* G. Spalatino *Germanicè redditæ evincunt comprobantqve, vid* in Chron. cit. tit. II. *& conf.* Joh. Limnæus J. P. Lib. V. c. 15. Laurentius Faustus *hîc omnibus ferè Bernhardi posteris sine discrimine ullo titulum Electoris adscribit; qvòd qvàm verè legentibus ultrò patescet. Ne illud urgeam, Successores ab eo dici, qvi diu ante vitâ excesserant, vid.* in Explic. Stemmat. Sax. p. 153. seqq.

†††† *Is memorabili exemplo cum Alberto fratre inconstantiam fortunæ est expertus, qvod tribus ille qvidem filiis, Rudolfo per morbum, Wenceslao ac Sigismundo per ruinam Sveinicensis turris orbaretur; Hic verò præter sterile, qvod contigerat, matrimonium, ex incendii cujusdam venatûs tempore in ædibus Lochaviensibus oborti occasione morbum contraheret, paucosqve post dies Wittebergæ expiraret. Vid.* G. Fabricius cit. loc. Petr. Albinus Chron. Misn. tit. 16. Dresserus loc. cit. p. 422. Ludov. Persona cit. loc. Phil. Jac. Spenerus cit. loc. p. 775. *aliiqve plures.*

§. IV.

§. V.

Simul atqve verò Alberti ex hac vita exitus contigit, maximæ ſuper ſucceſſione controverſiæ agitatæ ſunt, Principumqve multi ſpes ac animos in Saxoniam converterunt, Ludovicus Palatinus, Fridericus Brandenburgicus, qvi audita morte Electoratus † Saxonici ditionem occupavit ſtatim, ejusqve Metropolim Wittebergam præſidiario milite communivit; Fridericus noſter Miſenenſis, & præcipuè omnium Ericus Saxo-Lauenburgicus.

† *Cauſas rimanti, eas dabimus in conſpectum, qvas Hiſtorici attulerunt, qvi publicæ partim tranqvillitatis amore, ac ut diſſidiis, qvæ ſuboriri inter Competitores Sereniſſimos facilè poſſe metuebat, obicem poneret; partim Imperatoris mandato; partim etiam ut filio Johanni [qvi Rudolfi III. Electoris, fratris Alberti III. & Anteceſſoris, filiam Barbaram connubio ſibi junxerat) viam ad Electorale faſtigium panderet, talia feciſſe Fridericum tradunt. Conf.* Petr. Albinus Chron. Miſnenſ. tit. 16. G. Fabricius lib. VII. orig. Sax. de Frider. bellic. Cyr. Spangenberg. Chr. Mansfeld. c. 311. & Ludov. Perſona cit. orat. *qvanqvam hic ultimam rationem præter verum tribui Friderico putet.*

§. VI.

Refert noſtrà hîc ut ordine cuncta explicemus, & qvî factum ſit qvod, cùm plures Saxoniæ Ducatum cum Electoratu peterent, ſolus Miſnenſium Marchio, Fridericus impetraret eum atqve obtineret. Et Fridericus qvidem Brandenburgicus ac Ludovicus Palatinus, (qvi itidem

itidem pro filio ſolicitaverat eundem,) ideò poſſeſſione exciderunt, qvòd antiqviſſima ſanctiſſimaqve Majorum conſvetudine, ut Pater & filius ſimul eligendi jus haberent, imperiiqve duos Electoratus poſſiderent, permitti non poſſe, † Sigiſmundus pronunciaret.

† *Vid.* Cyr. Spangenberg. Chron. cit. part. 1. càp. 311. Ge. Fabricius lib. VII. orig. Sax. Ge. Spalatinus Chron. cit. tit. II. lit. k. 3. a. *aliiqve.*

§. VII.

Verùm enim verò non ſic finita Erici Lauenburgii prætenſio fuit. Obtendebat ille neceſſitudines † ac generis propinqvitatem, & Septemviratum ideò præ aliis †† deberi ſibi contendebat, ſimultaneamqve inveſtituram magno niſu urgebat, qvam à Sigiſmundo ipſo in eventum, ſi abſqve maſcula prole defungeretur Rudolfus, ſe impetrâſſe gloriabatur, imò cum contra ſpem evenire cuncta ſentiret, qvaſi denegata juſtitia fuiſſet, ab Imperatore ad Concilium ††† Baſileenſe provocabat.

† *Injuriam hîc* G. Spalatinus *Lauenburgenſibus facit, qvando eandem iis cum Aſcaniis originem eſſe inficiatur,* in Chron. ſæpè laudate tit. I. lit. N. 4. & M. *Aliunde enim perſpectum eſt ſatis atqve cognitum, Johannem, primum Saxo-Lauenburgenſis familiæ conditorem, Alberti I. filium & Alberti II. fratrem extitiſſe. vid.* Dav. Chytræus Chron. Sax. p. 9 & Phil. Jac. Spenerus in Syllog. Geneal. Famil. Aſcan. Saxonica p. 776. *Conferri cum his poteſt* Daniel Mithoſius & Erneſt Brotufius in Chron. Geneal. Anhalt. *qvi Johannem hunc Rudolfi II. filium & Wenceslai I. fratrem nominat, errore*

eò

eò faciliùs intelligendo, qvò est manifestior, siqvidem liberos Rudolpho tribuit, qvi omnium tamen consensu expers marium fuit. Conf. Faustus cit. loc. p. 158. *qvi eandem amplectitur sententiam.*

†† *Pressit hac in parte vestigia Erici II. qvi Rudolfo II. Electori Anhaltino qvoqve litem de successione intendit, Güntheri Schvvarzburgici autoritate nixus; cujus tamen acta Carolus IV. rescidit, & pro Rudolfo sententiam dixit. vid.* Marqv. Freher. de legitima tutela, lit. B. Dav. Chytræus Chron. Saxon. p. 69. G. Fabricius de Elect. Saxon. Balt. Mencius in Rudolfo II. Ludov. Persona in orat. cit. Laur. Faustus p. 158.

††† *Legitimè ne fieri talis appellatio potuerit, an secus? operæ pretium est explicare. Ubi non ferunt nostræ rationes, ut iis assentiamur, qvi defendere conantur: Etenim ne ex privati juris monumentis rationes afferamus, qvippe ad aliam, non nostram Cathedram spectantes, ex praxi certè atqve consuetudine imperiali contrarium ostendi negotio facili potest: Non Sigismundi allegabimus eò ad Concilium Basileense contestationem, utpote qvæ aliàs ad nostram pertinet tractationem, & à* Goldasto Tom. III. Constit. Imperial. p. 440. *integra exhibetur; Conradus certè Rex Romanorum Trajectenses, qvod repudiato ipsius judicio ad Pontificis forũ provocassent temerè, tanqvam læsæ Majestatis reos bello appetere decrevit, vid.* Otto Frisingensis Chr. l. 1. c. 62. *Spectatq; huc* Maximiliani I. Edictum contra Bannum Papale, & ut distringantur Sacerdotes, qvi homines Imperii ad judicium Pontificis Romani evocare audent, *allegatum ab eodem* Goldasto Haiminsfeldio cit. loc pag. 659. *Ut non prolixè adducamus, hodie in sanctiori, qvod Spiræ Nemetum est, judicio, non rarò contra Pontificis Delegatos, qvi appellationes ejusmodi admittunt, avocatoria mandata decerni, ac illum, qvi provocavit, tanqvam Imperatoriæ Jurisdictionis contemptorem ad 100. auri puri librarum solutionem condemnari. vid.* Ordin. Camer. part. III. tit. 51. *& ex ea* Joh. Limnæus J. P. lib. II. c. 9. *Conf. §.* seqvens disp. hujus.

§. VIII.

§. VIII.

Sed qvanqvam petendo instaret ille, ac Cæsaris aures obtunderet, voti tamen minimè compos est factus, propterea qvòd partim Imperator Principumqve Imperii Senatus agnaticæ nullam hîc rationem habendam pronunciarent, ac pro aperto feudum Electorale cognoscerent, qvæ cognitio omnino hîc sufficiebat, qvòd ab horum judicio tanqvam competenti ac supremo ad aliud superius non licebat appellare, qvoniam Pontifex ac Concilium in causis feudalibus non habet fundatam jurisdictionem; partim qvòd falsò † atqve fundamento nullo ad investituram sibi factam Ericus provocasset; partim etiam in conditione acqvirendi habili non esset, qvòd erga Dominum directum, †† ut Vasallum oportebat, ratione prætensi Electoralis feudi se planè non gessisset, ut alia taceamus, qvæ afferri in hanc rem possent.

†. *Constat hujus rei veritas ex eo, qvod ne consecutus eam qvidem unqvam fuit. Illud verum atqve extra dubium est positum, Ducatus Lauenburgii nomine à Sigismundo Anno M. CCCC. XIV. Francofurti esse inauguratum; Verùm in Saxoniæ Ducatum & Electoratum istô inaugurationis actu spem simul futuræ successionis, qvæ usu juridico jus expectativæ dicitur, accepisse eum, tantum abest, ut dici possit, ut ex luculentis tabularum contrà publicarum monumentis planè apertèqve confici qveat, Rudolphum Electorem pro hærede eum admittere noluisse, neqve ad vexillum ut manus solenni ritu admoveret, passum esse. Nec prodesse ipsi qvicqvam qvod in confirmationem investituræ datum sibi asserebat, diploma poterat: Sub-& obreptitiè enim, qvod dicitur, opera*

Cancellarii Passavii & Conradi Weinsbergii, inscio planè Sigismundo, impetratum erat, annusqve subscriptus tempori vero non respondebat, uti illud Michaëlis à Priest *Præpositi Boleslaviensis ac Cæsarei Proto-Notarii publicæ literæ testantur. Vid. post* Rescripta Sigismundi Imperatoris de Anno M. CCCC. XXVI. & M. CCCC. XXXIV. *qvæ fontes sunt hujus tractationis,* Ge. Fabricius Lib VII. Orig. Saxon. Petr. Albinus Commentar. rer. Misn. tit. 16. Joh. Strauchius in dissert. Exoter. XI. Phil Jac. Spenerus Syllog. Geneal. in Famil. Ascanio-Saxon. *& qvi primus nominari debuisset* Ge. Spalatinus in Chron. Sax. tit. II. *qvô prolixè diligentissimèqz ex ipsis fontibus hoc argumentum est complexus; conf. etiam* Joh. Limnæus J. P. lib. III. c. 10. n. 2. seqq. *qvi similiter non pauca huc pertinentia congessit.*

†† *Distulit videlicet, ut de aliis, ob qvæ accusabatur, admissis erga Imperatorem non dicamus, ultra justum tempus petitionem feudi, minimè tamen differendam, si legitimam ad se pertinere successionem fuisset arbitratus, uti qvidem arbitratus est, dum DOMINI DE WITTEBERGE ET PRINCIPIS ELECTORIS titulum assumpsit, referente* Lib. XI. cap. 10. Sax. Cranzio. *qvi ipse qvoqve (utut alioqvin adeò Saxoniæ inferioris Ducum studiosus sit, ut materiam carpendi superioris Saxoniæ Duces Electoresqve qværat etiam interdum, si non habet) distulisse eum eam non diffiteri videtur, qvando sive per negligentiam non petendi beneficii, sive ob aliam causam præteritum Lauenburgium fuisse scribit, cum qvo* Laur. Faustus *facit in* Explicat. Stemm. Saxon. p. 159. *Conf.* Petr. Albinus cit. Chron. Misn. tit. 16. G. Spalatinus Chron. tit. II. lit. K. b. Ludov. Persona orat cit.

§. IX.

Itaqve rejectis aliis omnibus uni Friderico, † Misniæ Marchioni, qvi & Lipsiensis †† Academiæ institutione, & bellis ††† factisqve egregiis præclarum non modô apud suos, sed etiam apud hostes gloriosum sibi nomen paraverat, spes impetrandæ dignitatis Septemviralis supererat,

erat, cui etiam Sigismundus Cæsar Saxoniæ Ducatum †††† cum Electoratu ac eò pertinentibus officiis plenô ac duraturô ad posteros omnes jure tribuit concessitqve.

† *Is, qvando primus hujus nominis vocatur, Electorum series respicitur, nam juxta ordinem Marchionum numeratus, IV. debet nominari, qvod notius manifestiusqve futurum est, si Misniæ ex stirpe Wettinensi Marchiones, in qvantum ad institutum nostrum pertinebunt, oculis subjiciam:*

Conradus M. *Marchio Misniæ stirpis Wettinensis, ux. Luidgard. Svevica.*

Otto, *ob argenti in fodinis Fribergensibus fœcunda incrementa Dives dictus, Cellensis Cœnobii fundator, Patris in Marchionatu Successor, ux. Hedwig. Brandenburgica.*

Dieterichus, *Lusatiæ Marchio.*

Dedo, *Comes Rochlicensis.*

Albertus, *iniqvus in patrem fratremqve, ἄπαις,*

Dieterichus *fratris ἄπαιδος successor, ux. Judith. Thuringica.*

Henricus *Illustris, primus Thur. Landgravius, ux. prima Constantia, Austria, ex qva*

Albertus *Degener, ux. Margaretha, Frid. II. Imp. filia.*

Dieterichus *ἄπαις, fratris filios hæredes Marchionatus Misnensis scribit.*

Fridericus *I. Fortis seu Admorsus, ux. Elisabetha, Arnshagia.*

Dicemannus, *per sicarium hic sublatus.*

Fridericus *II. Gravis, ux. Mechtildis, Ludov. Bavari Imp. filia.*

Fridericus III. *Strennus, ux. Catharina, Hennebergica.*

Wilhelmus I. *Cocles.*

Balthasar. *Episc. Moguntinus*

Ludovicus *Fridericus pacificus.*

Fridericus IV. *Bellicosus, Elect. ux. Cathar. Brunsvicensis.*

Wilhelmus II. *Dives.*

Fridericus V. *Placidus, ux. Margaretha, Austriaca.*

Wilhelmus III.

vid. Reineri Reineccii Genealogia, de integro à Madero edita & Chron. Lauterbergensi præfixa, p.m. 47. Elias Reusnerus in stemmat. Wittikindeo, G. Fabricius in eodem, David. Chytræus Chron. Saxon. p. 53. seq. Schurzfleisch in disp. de Wittikindo, *& qvi totius Familiæ Wittikindeo - Saxonicæ commentarium luculentum edidit* Phil. Jac. Spenerus in Syllog. Geneal. pag. 413. *aliiqve.*

†† *Ex ruina atqve dissipatione Pragensis, qvæ Carolo IV. natales suos fert acceptos, Lipsiensis nostra, qvam diutissimè servare augereq; Numen velit, auspicia cepit Universitas; Magna enim freqventia numeróqve* Studiosis *Anno M. CCCC. VIII. relicta Pragâ, Bohemorum Metropoli, Lipsiam proficiscentibus, extruendi ibidem literarum studiorumqve domicilium Princeps consilium cepit. Annus institutionis M. CCCC. IX. dies 2. Decembr. qvi proximus à prima Adventus Dominicâ tum erat, Rector primus Joh. Otto Münsterbergius memoratur. Vid.* Laur. Peccenstein Theatr: Saxon. part. I. cap. 11. & part. III. in descript. urb. Lips. Georg. Fabricius lib. VII. orig. Saxon. Laur. Faustus in Frider. bellic. Spenerus in Syllog. p. 333. Zachar. Schneider Chron. Lipsiens. Lib. VI. p. 274. seqq. *apud qvem literæ erectionis, ac confirmationis Pontificiæ inveniuntur. In qva cogitatione defixo in mentem venit Caspari Borneri, Professoris qvondam hîc Theologiæ, qvi tantò dignior recordatione est, qvantò cupidior in amplificandis augendisqve Academiæ rebus extitit. Namqve Börneri cura accidit, qvòd Bibliothecæ, aliarumq; accessionum possessione ac usu Academia nunc fruatur, aliunde transferendo, nî is opportunè prævenisset. Ut jure eam ob causam etiam Excell* L. Joa. Fellerus *Patr. ac Hosp. meus maximè colend. Bibliothecæ parieti cuidam inscribi sequentes versus, qvibus in honorem Börneri loqventem Academiam inducit, curaverit:*

Qvòd libris, pagisqve & Pauli his ædibus amplis,
Qvòd sylva atqve aliis fructibus aucta fui,
Hoc, Bornere, tuis æternum debeo curis;
At tibi qvæ referent secla, Beate, parem?

††† *Non præter rem BELLICOSI cognomen ei inditum ab Historicis tributumq; est, nam ab ipsa statim pueritia in castris, belloq; principalis virtutis schola, est versatus, & adultior factus constantissimè*

simè tumultibus ac bellis sedandis conficiendisq; operam navavit. Extra patriam in Franconia *Stellarium factionem sub Norinbergensium Burggravio Friderico An. M. CCC. LXXXVIII. sopivit: in* Borussia *Conrado Teutonicorum Equitum Magistro, pro Nomine Servatoris amplificando suppetias An. M. CCC. XCI. tulit, ornatus hac occasione ipse auratis Equitum insignibus; in* Bohemia *Wilhelmo patruo tempore obsidionis Pragensis An. M. CCCC. I. adjutor extitit. Nec domi se alium præstitit; in* Thuringia *quidem Schwarzburgii, Heldrungii ac Hohnsteinii Comites; in* Misnia *Vizthumium Nobilem, rebelles omnes, compescendo, munitissimisque arcibus expellendo; ut hîc de reliquis Bohemicis expeditionibus, & aditis pro Sigismundo periculis, quod infrà eas adducendi locus dabitur, referam nihil. Vid. huc* Laur. Peccenstein Theat. Saxon. part. I. c. 11. p. 147. G. Fabricius lib. VII. orig. Saxon. & de El. Saxon. in Frid. bellic. Laur. Faustus in eodem p. 164. Spenerus cit. loc. p. 331. sepq.

†††† *Veluti aliàs de uno eôdemque argumento non easdem singulos Historicos complecti opiniones, sed dissentire sæpe numerò ab se invicem novimus; Pari ita ratione inter Autores non convenit, si, quô annô Fridericus novo hoc honore auctus sit, edisserunt. Sunt, qui annum M. CCCC. XX. memorant, nominatim præter ceteros* Peccensteinius *&* Adam Richterus, *eò notiore omnibus errore, quòd Anno hoc Albertus III. Anhaltinus Septemvir in vivis adhuc esset, quò confer assentientem nobis* Frid. Hortlederum part I. lib. IV. cap. 9. de caus. bell. German. *Alii ad An. M. CCCC. XXII. referunt, ut* Dav. Chytræus p. 50. Chron. *quanquam idem* pag. *mox* 54. *in generationis serie, sui oblitus M. CCCC. XXIII. ponat, qui & apud* Cyr. Spangenbergium *&* Laurent. Faustum *invenitur, probaturque* Hortledero cit. loc. *quando Presburgi Ungarorum hoc annô, Epiphaniæ die, titulum & insignia Electoratus Friderico tributa esse contra* Ludov. Personam *asserit, qui insequenti Anno M. CCCC. XXIV. factum in* oratione *tradit, quanquam* Petr. Albinus in Chron. Misn. tit. 16. *promissionem tantùm de impetrando Septemviratu hoc anno* (1423) *factam ei esse scribit, allegatque mox tanquam electionis annum, ex aliorum tamen mente, quartum & vigesimum. Sed quicquid de eo demum sit, res sanè explicatu difficillima est, neque attinet, ut longius in ea versemur, nisi quod annum adhuc, quo Budæ peracta solennis inaugu-*

guratio est, addendum censeamus, qvò post investituræ literas mox à nobis exhibendas, cum Albino cit. loc. Hortledero cit. loc. Persona, cit. loc. Spenero cit. loc. p. 333. Schurzfleischio in progr. Decanali, *aliisq; M. CCCC. XXV. Annus est nominandus. Ut expeditum sit colligere, nec actis respondere aunum M. CCCC. XXIV. à* Dressero *positum, nec archivo convenienter à qvibusdam*, Spalatino cit. loc. tit. II. Heigio p. 1. q. 4 n. 23. Strauchio cit. loc. *aliisq; annum M. CCCC. XXVI. inaugurationis diplomati subscribi, qvam brevi pòst introducente eum Judicii Aulici Præside, Johanne Comite Lupfense, possessio ipsa est insecuta, vid.* Albinus, Fabricius, Persona, *aliiqve.*

§. X.

Convenit nunc nostro instituto ac tractationi, ut ipsum investituræ diploma, qvod hodieqve eâ formâ, qvâ editum à Sigismundo est, in Sanctiori Curia Saxonica asservatur, adducamus, & in qvantum ad cœpti argumenti explicationem pertinebit, paulo illustremus. Proinde verbis iis, qvibus exaratum primò est, referam ex Albino huc hunc ad modum:

Wir Sigmund von Gottes gnaden Römischer König/ zu allen Zeiten mehrer des Reichs/ und zu Ungern / zu Böhmen / Dalmatien / Croatien/ &c. König bekennen / wann wir sider der Zeit/ alß wir zum Römischen * König erkoren sind / allezeit betrachtet haben / daß uns und dem heiligen Römischen Reich unbeqvemlich wer / wo die Zal † der sieben Churfürsten / sintemal dieselbigen des Reichs förderste Glie-

der

* *id contigit Anno 1411, Coronatio vero 1431.*

der * und alß feste Sewlen sind/ darauf es gebauet ist/ unerfüllet bleiben solt/ Und wenn wir den hochgebornen Friderichen Hertzogen zu Sachsen ** des heiligen Römischen Reichs †† Ertzmarschalck/ Landgraffen/ ††† in Ytyringen/ und Marggraffen *** zu Meyssen/ unsere lieben Ohem †††† und Churfürsten/ so redelichen/ feste/ biderbe/ vernünftig und getrew in allen Sachen gegen uns alzeit erkant und befunden/ und auch solche gute gantze unzweifentliche Zuversicht zu Ihm gewonnen haben/ daß wir zu GOtt hoffen/ und gäntzlich getrawen/ er sey der fürtreffenden des Churfürstenthumbs/ des Hertzogthumbs zu Sachsen/ seiner Chur/ (die denn an uns als Römischen König/ und das heilige Reich/ mit sampt Grafen/ Herrn/ Rittern/ Knechten/ Landen/ Leuten/ und itzlichen seinen Zugehörungen/ recht und redelichen gefallen ist/) wol wirdig und werd/ und müge die auch redelichen/ vernünftig und rechtlich außrichten/ verwesen/ und umb uns und das Reich verdienen: Darumb die vorgenante Zai der Churfürsten wider zuerfüllen/ Haben wir angesehen und gütlichen betrachtet/ des heiligen Römischen Reichs ehr/

Nutz

* *Vid.* A. Bulla tit. III. & tit. XII. *inpr. alibiqve* & Heig. p. 1. q. 4. n. 22.
** *Vid.* §. 1. not. 3. disp. hujus
*** *Vid.* dissert. Schurzfl. de Marchia Misn. & Genealog. §. 9.

Nutz und bestes / und des itzt genanten Friderichs redligkeit / festigkeit / biderbkeit und Vernünfte / und sonderlich sein willige / unverdroßne / nütze und getrewe Dienste / die er uns itzt wider die Ketzer ††††† in Böhmen nu etliche Jar / und dem Reich lange Zeit gethan hat / und noch teglichen thut / und fürbaß thun soll und mag in zukünfftigen Zeiten. Und haben / als wir in unser Königlichen Majestat zu Ofen gezieret sassen / mit wolbedachtem mut / gutem Rath / unser und des Reichs Fürsten / geistlichen und weltlichen / Graffen / Herrn / Edlen und getrewen / den vorgenanten Friderichen zu dem vorgenanten Churfürstenthumb gewirdiget / und mit Fanen * Paniren und Schild angeweiset / und ihn auch dazu geschickt / und ihm also im Namen der Heiligen Dreyfaltigkeit das vorgenante Churfürstenthumb ** und Hertzogthumb *** zu Sachsen / mit sampt der Chur und Ertzmarschalck Ampt dazu gehörend / und auch sonsten mit der Pfaltz †††††† Hauß und Stad Alstedten / und der Grafffschafft ::: Brene ††††††† mit der Bürggrafffschafft und Graffengeding

* *Vid.* Petr. Albinus Chron. Misn. tit 16. *&* Spenerus in peculiari de insignibus Sax. Fam. disqvisitione.

** *Vid. de dignitate hac* A. B. *& nota hic:* Electoratus, *qvâ tales, jure Sanctionis allegata individuos esse,* tit. 21. *ut vix videatur vero simile, Ducatus Sax. oppida divisa inter Ernestum Elect. & Albertum fratrem fuisse, qvod tamen* G. Fabrit. lib. 7. or. Sax p. 791 & 809. (*cum qvo* Laur. Faustus p. 176. *consentit*) *scribere non dubitavit, præsertim qvod ipsæ divisionis literæ An.* 1485. *Lipsiæ conscriptæ contrarium testentur vid.* Hortied. lib. V. c. 22. de caus bell. Germ.

*** *Vid.* A. B. tit. 7. vers. sanè, *&* tit. 20. & 24. §. decernimus.

geding †††††††† zu Magdeburg und Hall/ und mit allen seinen Herrligkeiten / Wirden/ Ehren / Rechten / Mannen / Mannschafften/ Lehen/ Lehenschafften / Eigen / Eigenschafften/ Pfanden / und Pfandschafften/ die zu dem Hertzogthumb zu Sachsen von alters gehören mit Strassen/ dazugehörende Grentzen / Gebieten/ Gerichten/ Wildbanen/ Zollen/ Gleiten/ Städten / Märckten / Schlossen / Dörffern / Ackern/ Wiesen / Holtzern / Wassern / Weyern / Wunnen / Weiden / Landen / Leuten / Zinsen / Gülden / Renten / Nutzen / Gütern / Wirdigkeiten / und Zugehörungen / wie man die denn mit sondern Namen benennen mag / wo und an welchen Ende die gelegen seind / nichts außgenommen / alß denn / die von alters dazu gehöret haben / gehören sollen und mögen / und von uns und den Reiche zu lehen rührend / gnediglichen und mit solcher Zierheit/ alß denn sich gebüret hat / uf diesen Tag / alß dieser Brief gegeben ist / verliehen / die fürbaß mehr ihm und seinen Erben und Erbes Erben/ Mannsgeschlechte/ von uns vnd von dem Reiche zu Lehen zuhaben / zuhalten / und geniessen / alß denn Churfürsten und Churfürstenthumbs/ und Hertzogthumbes mit der Pfaltz und Ertzmarschalck-

ampt / und auch der Graffschaft zu Brene/ Burggrafffschaft und Graffengeding zu Magdeburg und Halle / Lehnrecht und herkommen sein / Und weissen / setzen / bringen und führen den obgenanten Friderich / seine Erben und Erbes Erben in das vorgenante Hertzogthumb vnd Churfürstenthumb / und in alle vnd itzliche obengerührte Freyheit und Gerechtigkeit/ gerügliche Gewehre und Besitzung / in Kraft dieses Brieffes / von allermenniglich ungehindert / Uns hat auch der vorgenante Friderich gewöhnliche Gelübde und Eide drauf gethan/ uns und dem Reich getrewe / gehorsam / und gewehr zu sein / zu thun / und zu dienen / Alßdann des Reichs ein getrewer Churfürste / seinem rechten Herrn/ dem Römischen Könige/zu künftigen † † † † † † † † † Keyser / pflichtig zuthun ohn alle Geferde / Mit Urkund dieses Brieffes versiegelt / mit unserer Majestet Insiegel / geben zu Ofen nach Christus Geburt Vierzehenhundert Jar / und darnach in den Fünf und Zwantzigsten Jar / an S. Peterstag ad Vincula, Unserer Reiche des Ungerischen in dem 39. des Römischen in dem 15. und des Böhmischen in dem sechsten Jaren. R. Henricus Fye.

Ad

Ad mandatum domini Regis Johannes Episcopus Zagrabiens. Cancellar.

† *Accuratè olim servatus hic numerus est, ita, ut, cùm tempore coronationis Caroli V. Aqvisgrani peractæ, Maximilianus pro Archi-Ducibus Austriæ Electoriam dignitatem peteret, ab Electoribus ei responderetur:* servanda esse Majorum instituta, qvibus interdictum octavum Electoratum esse constaret; *Videantur* Acta Coloniensia, *& post hæc* Marq. Freher in Not. ad P. de Andlo lib. II. cap. 1. *Et qvanqvam hodiè novô exemplo Bavariæ Ducibus collatus iste honos est, non tamen durabit diutiùs, qvàm Linea Wilhelmina: publica enim lege cautum est, expungendum esse octavum Electoratum, si deficere Lineam Wilhelminam masculam contigerit. vid.* Instr. Pac. Osnabr. art. IV. & V. collat.

†† *Antiqvissimum hoc est Sacri Imper. officium, & à longo tempore in aulis Teutonicorum Imperatorum viguit; ast sub alia planè conditione, qvàm hodiè accidit: Ambulatorium enim erat, nec certæ alicui familiæ innexum, ita ut mox hic, mox alius obiret, veluti indubitata fide præditi Autores contestantur, nominatim* Witichindus *compositis Saxoniæ Annalibus insignis scriptor,* lib. II. sub init. *&* Detmarus Merseburgensis Episcopus lib. IV. Chron. *Confer.* Annales Lauterbergiani, Arnoldus Lubecensis lib. III. c. 9. *&* Otto Frisingensis, *qvi Daniæ Regem ad hoc Augustalis ritus officium à Lothario Imperatore adhibitum memorat,* lib. VII. cap. 19. *Qvòd eò* Conringium *adduxit, ut* disput. de official. Imper. §. 13. *scribere de officiis Imperii non dubitârit: Qvin imò valdè est verosimile, ne qvidem ad vitam Principibus, qvi semel ea gesserant, competiisse, sed potius in conventibus Imperialibus singulariter eis, qvi præ cæteris tunc eminere videbantur, esse demandata. Norunt enim, qvi vel leviter in scriptoribus rerum Germanicarum sunt versati, perqvam rarò cunctos Imperii nostri Proceres Comitia adiisse, qvin perfreqventer modò hos, modò alios haud paucos emansisse. Nec tamen uspiam legas, unius fortè aut alterius absentis loco alium, tanqvam vices gerentem, ullum horum munerum obivisse. Conf.* idem ad Lampad. part. III. c. 4. §. 23. seq.

& disp. de Septemv. pag. 211. Schurzfl. de Wittik. sub fin. *Cæterum à Sec. XII. hæreditarii & prosapiæ additi Archi-Marescballatûs origo est arcessenda, & qvidem cùm rerum potiretur Majestatis studiosissimus Imperator Fridericus I. à qvo Bernhardus Ascanius consecutus est; scriptura verò tituli circiter Caroli IV. tempora demum cœpit, ac Rudolphus ejus nominis ex Anhaltinis primus primò usurpavit, vid.* Schurzfl. de Vitricis § 8. in not. *Qvibus Ceremoniis peragatur, cum eligendus Imperator est & denominandus, apud* Jur. Publ. Commentatores *invenire est.*

††† *Non parvam lucem tractatio hæc accipiet, si de Thuringia, cujus Landgravius Fridericus noster hîc vocatur, qvædam afferam. Non verò nunc in universum eam considerabo, nec de universis Dominis prolixè faciam verba; potest, cui placet, in eam rem evolvere* Sigebertum Gemblacensem, Gregorium Turonensem, Aimoinum, Johan. Bangium in Chron. Thuring. Autorem Hist. Landgraviorum Thuringiæ à Joh. Pistorio editum, Sagittarium de antiqvo statu Thuringiæ, *aliosqve; In præsens mihi duntaxat curæ erit, expedire, qvis primus ex Misnensium Marchionibus, & qvo jure Thuringiam possidendam acceperit. Qvod ut rectiùs intelligatur, à Ludovico III. genero Lotharii Saxonis Imperatoris inchoandum est, qvi An. M. C. XXV. Thuringiæ Landgraviatum à socero impetravit, cujus ex Hedwige Conjuge filius Ludovicus IV. à Conrado III. Rege Romanorum, socero itidem, de Landgraviatu est investitus, qvem filio Ludovico V. sine masculis hæredibus defuncto, alter filius Hermannus, Magnanimus ac bellicosus Princeps, excepit, à cujus morte, qvæ Anno M. CC. XV. contigit, primò Ludovicus V. & cùm huic successor filius deesset, hujus frater Henricus Raspo est secutus, postremus familiæ veteris Landgraviorum, qvippe qvi propterea, qvòd ab Innocentio IV. Pontifice instigatus Cæsaream dignitatem * acceptâsset, apud Ulmam cæsus, ac non diu pòst defunctus est. Qvo extincto ad Marchionem,*

* *Qvi Imperii jus expendunt rectè, ac temporum illorum, qvô electus Raspo est, eventus judicant accuratè, non accensendum veris æstimant Cæsaribus, propterea qvòd legitimâ electione Friderico II. filioq; ejus Conrado IV. partum jus, ratione nulla adeoq; nec contraria ac ex solo Pontificis instinctu factâ electione auferri potuisset.* Co Sa Schurzfleisch *præter allegatam rationem alias suppeditat, qvod Hohenstaufii jus suum semper ad animum revocassent, armisq; defendissent, ac demum Henricus ille nullas leges tulisset, nullumve actum verum & legitimum supremi Imperii exercuisset, qvod mavc adeò verum esse asserit, ut si diploma-*

nem Misniæ, Henricum Munificum sive Illustrem, Dieterici ac Juditha, qvæ Henrici Rasponis soror erat, filium, cui jam tum vivente adhuc Raspone à Friderico II. Imperatore facta beneficiaria inauguratio erat, Landgraviatus est devolutus, de cujus possessione obtinendâ ad nonum ferè annum Sophia, Ludovici VI. & Elisabetha filia, Henrici Brabantiæ Ducis uxor, cum eo bellum gessit, infelici tamen ac infausto planè exitu, qvod opera Rudolphi Vargelii, copiarum Henrici Illustris Ductoris strenuissimi, Brunswicensium Duce Alberto, qvi Sophiæ operam bellicam navabat, cæso captoq́, renunciare Sophia suo in Thuringiam prætenso juri, ac solius Hassiæ, octo tamen ad Werram positarum arcium accessione auctæ, possessione contenta esse cogeretur, atqve adeò Henricus Illustris jure qvadruplici tituloq́, hæreditatis videl. maternæ, concessionis beneficiariæ à Friderico II. impetratæ, belli, & pacti denique cum Sophia filioq́ ejus Henrico puero initi, autoritateq́ Cæsarea firmati, Landgraviatum Thuringiæ conseqveretur. Vid. David. Chytræus Chron. Saxon. pag. 192. Petr. Albinus Chr. Misn. tit. 15. G. Fabricius lib. VI. or. Sax. & in Stemmat. Wittikind. in Henr. Illustri, Cyriac. Spangenberg Chron. Mansfeld. cap. 257. seq. Math. Dresserus Millen. VI. part. II. pag. 372. Laur. Faustus in Explic. Stemmat. Saxon. pag. 126. Phil. Jac. Spenerus in Syllog. Geneal. in Fam. Saxon. C. S. Schurzfl. de Vitricis lit. D. 4. *ac alii plures. Qvod considerati venit in mentem controversiæ de pacti confraternitatis inter Saxones Hassosq́ facti origine, utrum ab hoc tempore ea sit repetenda, qvod vult* Wahremundus ab Ehrenberg medit. pro fœder. lib. I. c. 2. n. 35. pag. 441. Arumæus disc. 6. ad A. B. thes. 6. Theod. Reinking. de reg. Sec. & Eccl. lib. 1. cl. 4. cap. 18. n. 3. Paul. Langius Chr. Citiz. ad Ann. 1259. Hist. de Landgr. Thuring. ad Ann. 1263. apud Johannem Pistorium Tom. I. Script. German. Wilh. Dillichius part. II. Chron. Has-

plomata ejus nomine hodieq́ supereſſent, jure ipſius valitura non eſſent, propterea leges Judæis latas, ut ea Henrico adſcribuntur, ac à Goldaſto (Tom. III. Conſtit. Imp. ad Annum 1245. pag. 399. *qui idem ſentit, ac eò allegat.* G. Fabr. Annal. Miſn. Lib. 1. An 1265.) *referuntur, provinciales tantùm eſſe, non imperiales, atqve adeò non omnes Germanos, ſed certi territorii populos* (*Miſnenſes nempe & Oſtlandicos, quibus primùm datæ hæ leges ſunt*) *obligâſſe.* In Coll. Hiſtor. Univerſ. Mſto ad Sec. XIII. cap. 1. num. 13. *conf. cum eo* Abbatem Stadenſ. ad Ann. 1245. ſeqq. pag. m. 218. & Chron. Colmarienſ. ad Ann. eund. Cyriacus Spangenb. Chron. Mansfeld. cap. 257. *nominat. eum*

einen auffgeworffenen König.

ſiæ ad Ann. eund. G. Fabricius lib. VI. orig. Sax. Dav. Chytræus lib. 18. Saxon. qvi Annum 1268. habet, Brunner. Triad. Elect. Politic lib. 1. catal. Elector. Saxon. Spenerus cit. loc. Dreſſerus cit. loco, *aliiq;*; *An verò ad Annum* 1373. *cui à ſuperioribus confirmatio tantùm pacti tribuitur, referri debeat, qvod tuentur* Beſoldus diſſert. nomicopol. lib. 1. diſſert. 14. n. 3. Nicol. Reuſn. lib. 1. conſ. 4. num. 45. Joh. Limnæus. Lib. IV, J. P. c. 8. n. 161. ſeqq. *& omnium noviſſimè* Benedict. Carpzovius in peculiari de hoc argumento diſſertatione. *Ego qvamvis priorem non temerè vel recipiam, vel rejiciam opinionem, qvòd, ſi non in ipſa transactione ſimul initum hoc pactum fuerit, certè anſam ea ac occaſionem ad illud præbuerit; longè tamen tutiùs poſteriorem arripi ſententiam poſſe, cum Carpzovio exiſtimo,* 1. *qvod ex Hiſtoricis, qvorum negligentia hoc non eſt diſtinctè proditum, nemo conficere apertè poſſit, mutuæne defenſionis causâ initum pactum fuerit, an reciprocæ ſucceſſionis, qvippe qvæ confundi minimè debent.* 2. *qvod præter allegatam à* Limnæo cit. loc. *Carolinæ confirmationis formulam de Anno* 1373. *alia antiqvior produci nequeat.* 3. *qvod ex verbis formulæ* aneinander vermacht und geben haben / und ihr iedweder der obgenanten Theile den andern Theil zu rechten Mit-Erben und Gemeine ſeines Fürſtenthumbs / Herrſchafft / ꝛc. empfangen und gäutzlich genommen hat / ꝛc. ꝛc. *haud obſcurè eliciamus, non renovatum tunc, ſed potiùs initum contractumq; fuiſſe pactum; vid.* is cit. diſput. *Qvoqvo autem modô id ſe habeat, ſufficit ac ſatis eſt, extare talem conventionem, & cum antea ſæpiùs, tum inprimis An. M. D. LV. & M. DC. XIV. Numburgi ſolemniſſimè renovatam eſſe.*

†††† *Ex curiæ Imperialis uſu atqve conſvetudine ita dictus Fridericus eſt, qvâ Eccleſiaſtici titulo* Neven / *Seculares Electores verò* Oheim *condecoratur, qvanqvam id diſcriminis non obſervatum ſemper ab Imperatoribus fuiſſe,* die Handhabung des Friedens *de Anno M. CCCC. XCV. &* des Regiments zu Worms ufgerichtet *de Anno M. D. XXI. aliaq; acta publica teſtantur. Cæterum ex qva cauſa Eccleſiaſticis tribuatur illud nomen, aliis aliter videtur.* Heigius lib. II. qvæſt. 4. n. 62. *rei ejus rationem in abdito latere ſcribit,* Joh. Henric. Bœclerus Not Imp. lib. VI. cap. 4. pag. 95.

in

In titulo Nepotum, inqvit, plerique fateri coguntur ignorantiam sive potius qveri de defectu historiæ, nisi qvod ad honorem excogitatum videtur, ut singulari & diverso ab aliis titulo appellitarentur; titulus enim cognationis sive agnationis Electoribus Politicis attributus, generalis est; Nepotum verò appellatio aliqvid specialius sapit, Joh. Freinshemius in diatrib. de præced. Elect. & Cardin. *ad dignitatis Electoralis eminentiam refert*, p. m. 59. *confer.* idem ad Curt. lib. III. c. 3. not. 14. pag. m. 42. *vid. possunt etiam* Josias Nolden. de Nobil. cap. 8. num 71. seqq. Knichen. de Saxon. non provoc. jur. c. 1. num. 320. Bechmann. Comment. ad A. B. pag. 104. num. 44. Limnæus J. Pub. lib. III. c. III. Becmann. in Notit. dignit. illustr. differt. V. c. 3. num. 4. aliiqve. *Verùm enim verò qvis primus Imperatorum eos titulo hoc ornârit, æqve controvertitur.* Heigius cit. loc. *& cum eo* Bertramus de Comit. membr. 1. *Fridericum III. primò Nepotes vocâsse opinantur, & eò allegant* Reformat Francof. de Anno 1442. Noldenius *altiùs repetit initium, & jam ante Fridericum, Sigismundum* Anno 1431. *Moguntinum Electorem Nepotis titulo nobilitâsse, ex* diplomate ap. Lehmannum lib. 7. Chron. Spir. c. 78. obvio *demonstrat, imò ante Sigismundum, Rupertum qvoqve in confœderatione* Anno 1408. *cum Spirensibus inita usum eâ appellatione, ex eodem* Lehmanno c. 75. d. libr. *commemorat. ac adeò ad Ruperti hujus tempora originem referre videtur. Qvod Politicos concernit, res clarior est, nulli enim dubitamus cum* Schurzfleischio *à Rudolpho Habsburgio primordia Augustalium avunculorum deducere, qvandoqvidem, ut ille loqvitur, Septemviri ipsum electuri stipulando filias, ab ipso consecuti sunt hunc necessitudinis titulum, vid.* differt. ejus qvid expediat Imperio? *& confer.* Chron. Colmar. part. II. p. 39. *&* idem Schurzfleisch in Coll. MSC. Histor. Univers. cap. II. Soc. XIII. §. 6.

†††††† *Veluti Fridericus semper & qvoad vixit, honestis Sigismundi obseqviis commodisq; studuit, Patris sui Friderici Strenui exemplo, qvi pari affectu ac virtute hujus Imperatoris res nutantes sustinuit. Vid.* T. VII. H. Aug. pag. 405. & monumenta Oschaziensia; *ita hoc præprimis bello, qvanti Cæsarem suum æstimaret, luculen-*

*culenter est testatus, dum, qvid posset modò, pro avertendis Hussitarum Taboritarumq; irruptionibus tentaret, maximas ideò impensas faceret, & expeditionibus susceptis contra eos, multis ac difficillimis casibus jactatus vitam sæpius, prælio * inprimis Bruxiensi ac liberatione arcis Carolosteinæ, patriæ charitati posthaberet. Legantur hîc ad notitiam majorem* Joh. Dubravius, Wenceslaus Hagecius, Joh. Cochlæus, Zacharias Theobaldus, & Martin. Boregkius, *aliique plures Bohemicorum Scriptorum, qvatenus explicando huic argumento serviunt, cautè tamen ac cum circumspectione magna, qvòd partibus interdum studeant ex illis qvidam. Conf.* G. Fabricius lib. 7. or. Sax. & Petr. Albinus Comment. rer. Misn. tit. 16.

†††††† *Non nostrum hîc in explicatione vocabuli occupabitur studium laborq;, de qvo* Johann. Limnæus J. P. lib. IV. c. 4. num. 28. seqq. & Joh. Strauchius dissertat. III. Exoter. *videri possunt, qvi qvædam non-inutilia congesserunt, nec ad alium, nisi Saxoniæ Palatinatum commentationem dirigemus; in qvo negotio ita versabimur, ut qvomodo aliis post alios concessus fuerit, ostendamus. Primi, qvi dignitate eâ sunt ornati, ex Wittikindea stirpe memorantur, qvos Comites Gotesecios, sive de Gotssig, nominat* Petr. Albinus Chr. Misn. tit. 15. & G. Fabricius Annal. Urb. Misn. ad Annum 1178. *qvi conf. etiam* lib. I. orig. Saxon. pag. 81. *ubi seriem atqve ordinem eorum recensuit. vid.* Chron. Gozecens. à Madero ex Codd. MSto editum. *Post hos qvidam* (ut Rein. Reineccius in excerpt. Gozecensi,) *Wincenburgios Comites* (*qvos nescio cur* P. Bertius Coment. rer. German. lib. II. c. 11. pag. 307. *& cum eo* Dresserus Millen. VI. part. II. pag. 375. *Wurceburgenses vocat,*) *Wigbertum & Hermannum Saxoniæ Palatinos constituunt; perperam tamen ac falsò. Nam Misniæ illi qvidem Marchionatum ab Henrico V. impetrarunt, non itidem Palatinatum Saxoniæ, qvod comprobant consensu* Monachus Pegaviensis ad Annum 1123. & Epitomator ejus p. m. 256. *ac* Cosm. Pragens. Chron. lib. III. ad Annum eund. *Vid.* Petr. Albin loc. cit. & Maderus præfat. Chron. Lauterb. *qvi ante nos errorem hunc agnoverunt, ac horum loco Comites Sommerseburgios sub-*

* *Contigit prælium Anno 1420. 5. Augusti, qvo magna Hussitarum strages edita est, liberatio arcis vero Ann. 1423.*

substituunt, à qvibus non, ut Albinus *vult, ad Thuringios, sed ad Henricum Leonem Gvelfum pervenit, qvippe qvi imperante Ænobarbo prius, qvàm loco moveretur, cum Rhenensi Saxonicum qvoqve Palatinatum beneficiaria lege tenuit, vid.* Bunting. Chron part. I. p. 155. & Meibomius Chron. Marienthal. pag. 17. *qvo in exilium pulso demum Hermannus Thuringiæ Landgravius auspiciis ejusdem Imperatoris Saxoniæ Palatinus est factus, vid.* Arnold. Lubecens. Chron. lib. II. cap. 30. & 36. Engelhusius à Madero editus p. m. 71. Math. Dresserus loc. cit. p. 375. & Cyriac. Spangenberg Chron. Mansfeld. part. I. cap. 228. & 232. *qvi tamen in* Spec. Nobilit. lib. X. cap. 17. *aliam sententiam amplectitur, & cum* Autore Chron. Montis sereni p. m. 45. G. Fabricio Annal. Urb. Misn. ad Ann. 1178. (*qvanqvam falsò ibidem Ludovicus Marchio Misnensis dicatur*) *ac* Petr. Albino Chron. Misn. tit. 15. *Ludovicum fratrem, reipsa non in dubium vocatâ, pro Hermanno substituit. Thuringis in Henrico Raspone extinctis, Misniæ Marchionibus per Henricum Illustrem cum Landgraviatu, de qvo paulò ante diximus, est acqvisitus, vid.* Siffrid. Presbyter ad Ann 1247. *post cujus mortem, qvæ incidit in Annum M. CC. LXXXVIII. ab iis alienatus ad Ascanios, nominatim Albertum II. donatione ac beneficio Rudolfi Habsburgii devolutus est, successoribusqve ejus per* Sanctionem Carolinam tit. V. § 2. *confirmatus, apud* M. Goldast. Tom. I. Constit. Imperial. ad Ann. 1356. *qvô tamen non moti Marchiones sunt, ut tituli ideò ratione Palatinatus debiti scripturam omitterent, ut potiùs constanter ac sine intermissione asserendi juris sui gratia* Comites Saxoniæ Palatinos *se scriberent, qvod vel ex uno illo diplomate, qvod de Academiæ nostræ institutione agit, ostendi apertissimè potest, qvando seqventia ibidem leguntur: Ad honorem omnipotentis Dei, gloriosæqve Virginis Mariæ, ac totius Cœlestis Curiæ, nec non ad utilitatem S. Matris Ecclesiæ, atqve pro salute animarum nostrarum, & progenitorum nostrorum, & circumvicinarum terrarum, & gentium, qvæ procul sunt ob profectum, Nos Fridericus Senior, & VVilhelmus, Fratres Germani, divina favente clementia, Duringiæ Landgravii, Marchiones Misnenses, & Comites Saxoniæ Palatini, pro felici incremento &c. &c. Cujus scriptionis usus non prius abiit in desvetudinem, qvàm*

in Friderico nostro Bellicoso Misnenses defunctô Ascaniorum Septemvirorum ultimô Alberto III. Palatinatum recuperarent, ac adeò firmo illum nexu Ducatui Electoratuiqve Saxonico, qvem unà obtinebant, jungerent, ut pro æternâ perpetuaqve hodiè Saxonici Septemviratus portione Palatinatum haberi oporteat, nostroqve hodierno Serenissimo Electori-Principi non tam qvà Misniæ Marchioni, respectu cujus qvidem Majores Illustrissimi deberi sibi asserebant, qvàm qvà Saxoniæ Septemviro hæreditario jure competat. Vid. C. Sam. Schurzfleisch de Vitric. lit. D. 3. seqq. *& præprimis prolixè* in Notis ad Albert. III. Vitam, *ubi & addit, non eò omissionem hanc accipiendam esse,* qvasi jure ideò suo se privare, ac insignibus propter Palatinatum convenientibus renunciare voluissent, sed qvò usui vulgari loqvendi hoc darent, ut soli Principatui Rhenensi nomen Palatinatus relinqveretur. *Caterum qvî fiat, qvòd in literis inaugurationis Saxoniæ Palatinatus adjectione domus atqve oppidi Alstedte commemoretur, multis non leves movit scrupulos, certè* Petr. Albinum, *virum alioqvin harum rerum benè gnaviterqve peritum, dubium detinuit, ut, qvid statueret certi, planè nesciret: facilè enim qvis confundi hîc Palatinatus duos opinari posset, partim qvod juxta qvosdam oppidum Alstedte pro Thuringici Palatinatus parte ac metropoli habendum sit; partim in translatione ad Henricum Illustrem Thuringiaci Landgraviatus, Palatinatus simul etiam Misnicæ Familiæ accreverit, ac adeò in hac Friderico nostro facta concessione tanqvam feudum novum ac ab illo diversum allegari non possit, ut alia, qvæ suboriri alicui hîc dubia possent, non afferam. Qvod ipsum etiam* Albinum *tandem eò adduxit, ut crederet, unum eundemqve olim fuisse Palatinatum, Saxonicum nempe ac Thuringiacum* (*vid.* Cyr. Spangenberg Chron. Mansfeld. part. I. cap. 228. *qvi dicit, Hermannum, cùm Palatinus Saxoniæ esset constitutus, ad tempus Alstedii sedem habuisse*) *familiâ verò auctâ ac in diversos ramos distincta in duos divisum, ita, ut Landgravii ratione locorum in Thuringia sitorum, Thuringiacum, alterum qvi speciatim Saxonicus dicitur, Ascanii possiderent, donec tandem cum Septemviratu ab Ascaniis ad Thuringiæ Landgravios, qvi iidem Misniæ Marchiones erant, qvasi postliminii jure in Friderico feliciter rediret, sicqve qvi in partes antea tractus, nunc unus iterum fieret Palatinatus, vid.* Chron. Misn. tit. 15. & 16. *Et* in Stambuch p. m. 214. & 16. *Atqve eò forsan etiam mea qvidem opinione Imperator*

Augu-

*Augustissimus respexit, qvando in diplomate investituræ domum atqve oppidum Alstedte * Saxoniæ Palatinatui adscribit, conf.* Phil. Jac. Spenerus in insign. Fam. Saxon. Sect. I. §. 14. seqq. *qvi idem tractat argumentum. Nos in re obscura planè ac inextricabili fortè non diutius morabimur, illud tantùm addituri, non nudum sine re titulum, aut vanum nomen esse, sed Vicariatum propter eum Electori Saxoni competere,* A. B. tit. V. §. 2. *qvod* Spenerus cit. loc. §. 15. *definire dubitat, cujus ut & Palatini origo à Carolingis arcessi debet repetiqve: Etenim cum Saxones, postqvam in Rempubl. Francicam coiverant, jus suum, qvod Saxonicum dicitur, indicio servatæ libertatis retinerent, vid.* Wittichindus, Eginhardus, Bremensis, *aliiqve, & Franci qvoqve suo uterentur, duo vicarii, alter apud Francos, apud Saxones alter, sunt constituti; in hæreditariam verò legem Sec. XII. conversi, & sec. XIV. demum confirmati sunt, conf.* Schurzfl de Wittekind. Magno subfin.

†††††††† *Fuit aliâs hic Comitatus Misnensium ex Wettinensi stirpe Marchionum portio accessioqve, qvæ qva ratione ad Anhaltinos ab ipsis fuerit devoluta, simili labore hic est explicandum. Acceperat à Conrado, cui Magno sive Locupleti cognomen erat, possidendum Comitatum Fridericus, qvi filiis suis Ottoni I. cœlibi ac Friderico II. seu Juniori post mortem reliqvit, qvi ex Conjuge Juditha, Zigenhainensis Comitis filia, præter Ottonem II. in adolescentia defunctum, Dietericum etiam suscepit patrimonii Brenensis hæredem, à qvô ad Conradum usqve à Wettinensibus Comitatus est possessus, cujus Uxor qvidem Elisabetha etiam aliqvamdiu detinuit eundem, tandem tamen Rudolfi Cæsaris permissu, fratris sui Alberti II. filio, Rudolfo I. Electori Anhaltino concessit, qvi* Comitem *se etiam ideò* Brenensem *scripsit, confer* diploma Concessionis Ann. 1290. Erfurti datum; *qvanqvam alii à Rudolfo Habsburgio dotis loco Alberto II. cùm filiam ipsius Agnetem in thorum adsciscere, datum Comitatum hunc esse velint. Vid. eò* Ge. Fabric. in Stemm. Wittikind. p. 30. & 31. Petr. Albin. Chron. cit. tit. 15. & 16. & in Stammbuch p. 23. Laurent. Faustus cit. loc. p. 118. Schurzfl. de Vitric. lit. C. 2. b.

†††††††† *Cœpit ille Sec. X. & primùm eô tempore, qvo Saxones evecti ad imperium sunt, nominatim Ottonis I. uti qvidem veris*

 incer-

* *Hodiè penes Ducalem Saxon. domum est per transactionem Numburgensem de Ann.* 1554. d. 14. *Febr. initam. vid.* Hortled lib. V. c. 22. de caus. bell. German.

incorruptiqve testimoniis ostendi potest docetiqve, qvò ab Historicis Gerundensis Cœnobii monumenta *inprimis laudantur, ex qvibus judicari potest, omnium primò Lusatiæ Comites Burggraviatum hunc ab Ottone accepisse, conf.* Cyr. Spangenberg Chron. Mansf. part. I. pag. 124. b. *alibiqve. Non tamen hæreditatis lege, sed ex Cæsarum nutu arbitrioqve tum iudicandus est, qvòd alii ex aliis familiis succederent Lusatis, vid.* Albini Stambuch. p. m. 223. Math. Dresserus cit. loc. pag. 418. seqq. Spenerus insign. Saxon. Sect. 1. §. 23. pag. 23. *qvorum postremi Dynastæ Schrapelani extiterunt, ut videre est ex diplomatis Sec. à Natali Servatoris XIII. confectis, qvô etiam ab his jure perpetuo ad Saxo-Ascanios Electores, & his iterum extinctis in Friderico nostro ad Misniæ Marchiones est delatus, evolvatur* Cyriac. Spangenb. Specul. Nobilit. f. 318. 19. & Andr. Werner. Chron. Magdeb. c. 26. *Ex qvibus Johannes Fridericus Magnanimus Burggraviatum, Anno superioris seculi XXXVIII. reluit, qvòd Antecessores Anhaltini Magdeburgensibus cum civibus pro certa pecuniæ summa oppignorâssent, vid. sis* Chytræum lib. XV. Saxon. p. m. 335. Dresserum cit. loc. p. 109. & Spenerum cit loc. *Et qvamvis rursus posteà propter unam alteramve causam Septemvir Augustus ejusdem seculi Anno LXXIX. juris dictioni, qvæ olim ipsi vigore hujus* Burggraviatus *ex Cæsareo privilegio competebat, renunciaret,* Hortled. de caus. bell. Germ. lib. V. c. 28. Laur. Peccensteiu Theatr. Saxon. part. I. c. 20. Limnæus J. P. 3. 10. 17. & 4. 4. 86. Wehner. observ. Pract. verb. Vogtey/ Strauchius dissert. Exot. XI. §. 7. seqq. *ac alii, nemo tamen cum* Noldenio *existimet temerè, factum ideò inane aliqvod nomen esse; minimè. Illius enim ratione* 1. *Saxon. Elector dignitate Principali gaudet, qvod cum ex Curialis scripturæ argumento, tum ex praxi ipsa ac investitura, qvæ sicut alius Principatus sub vexillo confertur, unicuiqve innotescere potest.* 2. *possidet respectu ejus hôdienum Præfecturas* Gommern/ Danis / Eibenau/ *&c. qvò legatur* Recess. Islebiens. de Anno M. D. LXXIX. d. 10. Junii editus, sub titulo: Der zwischen Chur-Sachsen und dem Ertz-Stift Magdeburg aufgerichtete Permutations Receß. 3. *etiam soli Electori Saxonico insignium, qvatenus ad hunc Burggraviatum pertinent, usurpandorum jus est. Haud secus ac cum Norinbergensi comparatum est, ratione cujus Brandenburgicus Septemvir & titulum & insignia*

&

& alia Regalia hodienum habet, utut Fridericus Zolleranus Norinbergensium Burggravius, cùm à Sigismundo Electoratum Brandenburgicum impetraret, civitati Norinbergensi ex juribus qvadam pro 240000 fl. *concesserit vendideritqve. Ex qvibus sine multo studio diligentiaqve qvilibet potest consequi, Burggraviatum Magdeburgicum non ut Electoratum individui juris rationem habere, (utpote qvi & sæpè divisioni obnoxius fuerit, & hodie non iisdem, qvi olim statuti erant, sed multò angustioribus terminis contineatur,) Electoresqve adeò, non in qvantum Electores, acqvisivisse. vid.* Schurzfleisch de Vitric. lit. C. b.

†††††††††† *Qvinta hîc vice se* Regem *tantùm* Romanorum, *non* Imperatorem *scribit, additqve* zu künftigen Kayser. *Ex his conficimus, accuratè Sigismundum tempus imperatoriæ electionis & imperatoriæ coronationis distinxisse: Nam qvamvis coronatio sive inauguratio illa, mera tantùm ceremonia ac qvadam parti Imperatorii juris declaratio sit, adeòqve salvo jure Imperatorio, qvod ab Ottonis M. ævo Germanorum Regibus electis competit, omninò intelligenda; stylo tamen atqve usu Historicorum recepto olim non consecrati* Regis Romanorum ut plurimum, *consecrati verò* Imperatoris *titulum in scriptura adhibebant, qvod ex illorum diplomatibus literisqve pragmaticis, qvorum partim* Goldastus ab Haiminsfeld, *partim* Marq Freherus, *partim* controversiarum publicarum Scriptores *copiam nobis fecerunt, nullo negotio demonstrari potest;* ut plurimum *dixi, qvod præter consvetudinem* Imperatoris *etiam titulum à qvibusdam non-consecratis, Conrado III. in* Constitut. de benefic. & terris tributariis de An. 1141. Rescript. de Concord. utriusqve Imper. orient. & occident. de An. 1143. Rescript. ad Joan. Comnen Imp. Constantin. de Ann. 1146. *alibiqve; Conrado IV.* in Rescriptis de electione imperali, restituendis bonis patris proditoris filio fideli, distributione Generalis collectæ *&c. Alberto I.* in Constit. qva confirmantur & radificantur privilegia omnia per alios prædecessores Impetatores Ecclesiæ Romanæ concessa de Ann. 1303. *Maximiliano I.* in Mandato de subjectione imperialis civitatis Patavii, & destructione rebellium de Ann. 1507. & in Mandato de transferendis Imperii Græcorum, à Romanis Imperatoribus vindicandi, scriptoribus de Ann. 1514. *atqve aliis sumtum usurpatumqve vidi. De cætero ut cognoscatur rectè ac appareat, qvi consecrati fuerint, & non-consecrati, seriem aliqvam sequenti tabella exhibebimus.*

CONSECRATI.

Otto I.
Otto II.
Otto III.
Henricus II.
Conradus II.
Henricus III.
Henricus IV.
Henricus V.
Lotharius II.
Fridericus I.
Henricus VI.
Otto IV.
Fridericus II.
Henricus VII.
Ludovicus Bavarus *
Carolus IV.
Sigismundus.
Fridericus III.
Carolus V.

* *Vid, hujus* Constit. adversus Joh. XXII. de Ann. 1338. Francofurti promulgata, *quæ fons & caput est Imperatorii juris & appellationis imperatoris.*

NON-

NON-CONSECRATI.

Conradus III.
Philippus.
Conradus IV.
Wilhelmus.
Richardus.
Rudolphus Habsburgicus *
Adolphus Nassovius.
Albertus I.
Wenceslaus.
Rupertus.
Albertus II.
Maximilianus I.
Ferdinandus I.
Maximilianus II.
Rudolphus II.
Matthias.
Ferdinandus II.
Ferdinandus III.
Leopoldus.

* *Minus accuratè* Huld. Mutius Chron. lib. 21. & Rolefincius fascic. temp. p. 82, *Imperatorium insigne accepisse eum tradunt,*

Omitts-

Omittimus hîc in recensione Imperatorum Regumqve Romanorum 1. Henricum Thuringicum, *propter* num. 4. §. hujus in marg. *allegatas rationes.* 2. Alfonsum, *qvod is, vocatus licet à qvibusdam Imperii Proceribus ad capessendum imperium, non satis tamen ac prout par erat prosecutus oblatum jus fuisset, sed ultrò Pontificis qvidem Gregorii X. instinctu cessisset, adeòqve tacitè abdicâsse intelligatur, vid. eò* Rolvinc fasci. temp. ad Ann. 1254. *Wilhelmum vero ac Richardum interseruimus, qvia illi ex post facto & defunctis Friderico II. Conradoqve IV. conf.* Aut. compilat Chronol. p. 743. *huic post Wilhelmi cædem, partum Imperatorium jus est.* 3. Fridericum Austrium, *qvòd AntiCæsar is esset, ac jure belli controversia pro Ludovico * decideretur, annoqve* 1323. *Austrius vinceretur, vid.* M. Zvv. Boxhorn. Hist. Univers. p. m. 826. 4. Eduardum Anglum, *qvòd delatum Imperium sponte recusaret, vid.* id. ibid. p. m. 864. 5. Fridericum II. *Marchionem Misniæ Gravem dictum, qvod similiter, cùm suscipiendi imperii occasio daretur illi, detrectaret, ac Carolo IV. jus relinqveret, vid.* Alb. Argentin. Chron. pag. 145. 6. Güntherum Schvvarzburgium, *qvod p. dissidentibus suffragiis electus esset, partim etiam ipse acceptâ pecuniâ Carolo itidem dignitatem Imperatoriam cederet, vid.* Boxhorn. p. 865. 7. Fridericum Brunsvicensem, *qvòd cùm Francofurto rediisset, occideretur statim, non qvidem ut* Chytræus *& post eum* Christoph. Besoldus *aut certè qvi in eum commentatus* Christoph. Adam Rupertus *volunt, à Comite Waldeccio, sed à Friderico Nobili de Hertingenhusen, ac ita ne initium qvidem imperandi auspicaretur; qvanqvam si de jure per Electionem qvæsito sermo est, legitimus Rex Romanor. dici potest, qvod ab eo tempore ac momento, qvo peragitur electio, jus etiam acqviritur electo, nunc enim mos nobis solùm ac stylus Historicus curæ est, qvo omitti solet à multis.* 8. Jodocum *Moravum ex eâdem præmaturi obitus ratione.* 9. Fridericum sapientem, *qvod Friderici gravis exemplo dignitatem deprecare-*

* *Illegitimam hujus qvidam Coronationem putant, ideo, qvod à Stephano Antipapa peracta fuisset; Sed partium ex studio & contra fidem Antipapam dici, ostensu est facillimum: Vigore enim summi in Romam Imperii, qvod ex tot antiqvis transactionibus ad Ludovicum derivatum erat, omnino cujus ac potestatem eligendi, qvem vellet, Pontificem habebat, qvod una eademqve supremi in Romam atqve Episcopum Romanum dominii ratio esset, nec qvidqvam Henrici V. cessio, qvippe invalida, eum obligaret, vid.* Schurzfl. in Dissert. qvid expediat imperio §. 9. not. 9.

caretur, & p. ob grave senium, p. amorem in Austrios suffragium suum Carolo V. ferret, vid. Erasm. in Ep. ad Joh. Episc. Roffensem scripta, *qvæ* lib. XIII. *Epistolarum ejus voluminis continetur; & denique* 10. Ferdinandum IV. *qvod Candidatus qvidem, (apud Romanos Cæsares dicebantur, qvi vivo adhuc Imperatore Successores eligebantur) Imperii esset, ast ante istius susceptam administrationem, & vivo adhuc Patre defungeretur. Sed nolo in his & talibus declarandis esse longior, qvi ad cœptam tractationem redire necesse habeo.*

§. XI.

Qvæ tabulæ notum atqve testatum faciunt non tantùm concessionis Imperatoriæ titulum, qvasi merè Monarchico aliqvo jure Friderico nostro Septemviratum contulisset Sigismundus; sed etiam partim Principum Imperii consensum, partim causas rationesqve aliqvot, propter qvas ad conferendum Imperator est inductus. Ad illum seqventia diplomatis verba respiciunt; Und haben mit wolbedachtem Mut / gutem Rath / unser und des Reichs Fürsten / geistlichen / und weltlichen / Graffen / Herrn / Edlen und getrewen &c. ad has verò ista: haben gütlichen betrachtet des heiligen Römischen Reichs ehr / nutz und bestes / und des itztgenanten Friderichs redligkeit / festigkeit / biderbkeit / und Vernünfte / und sonderlich sein willige unverdroßne / nütze und getrewe Dien-

ste / die er uns itzt wider die Ketzer in Böhmen nu etliche Jar und dem Reich lange Zeit gethan hat &c.

§. XII.

Ut sponte suâ atqve per se qvorundam inconsultissimè prolata convitia ruant, qvibus auro, non virtute ac meritis, dignitatem sibi hanc Fridericum nostrum parâsse, ac adeò emisse, memorant. Falsissimum illud est, ac contra fidem omnem! Etenim qvod referunt Historici, eum Friderico Septemviro Brandenburgico † 20000. àureorum solvisse, illud non temerè emptioni alicui, sed satisfactioni pro impendiis ac sumptibus, qvos Brandenburgicus Imperii nomine in occupanda conservandâqve Wittebergensium regione, donec lis judicaretur, collocaverat, est adscribendum. Nec meliore dignus hîc censura Albertus Cranzius est, qvando uno alterôve †† Saxoniæ suæ loco partim expressè, partim tacitè injuria à Saxo-Lauenburgensium Ducum stirpe alienatum Electoratum scribit.

† *Vid.* Petr. Albinum Comment. rer. Misn. tit. 16. Laurent. Faustum in explicat. Stemmat. Sax. in Frider. bellic. pag. 165. Ludov. Personam Orat. de Witteberg. Strauchium differt.

Exoter.

Exoter. XI. Spenerum Syll. Geneal. Famil. Saxon. pag. 333. Schurzfleischium in program Decanal. *cum qvibus conf.* Frider. Hortleder. lib. IV. cap. 9. de caus. bell. Germ. *apud qvem rariora, ad hoc argumentum pertinentia, invenies.*

†† Lib. IX. c. 19. *his verbis: Permansit in linea Rodulphi Electura, donec transferretur in Misnenses, ad injuriam veræ stirpis Saxonicæ;* Lib. X. c. 3. *Ita: Nunc eò ventum est, ut non patiantur superiores aliqvid in ea re juris remanere Ducibus inferioris Saxoniæ: qvod Misnenses, qvi per Sigismundum sunt assecuti superiorem, detrudant legitimos successores, vix illis titulum permittentes Ducibus Saxoniæ;* Lib. XI. cap. 10. *ad hunc modum: Prævaluere apud Imperatorem alii. Nam ille Misnensi affectus Marchioni, propinqvo suo, qvi illi in Bohemia præstitisset obsequia plurima, contulit ducatum, præteritis cum qvadam contumelia legitimis successoribus. Qvæ ideò adducere loca integra libuit, ut ex studio partium* Cranzium *errâsse interdum cognosceretur ac appareret. Ne nunc afferam, vix etiam mereri fidem, qvod* lib. X. ac XI. cit. capit *scribit: sancitum Lubecæ à Carolo IV. fuisse, ut vicibus alternis Ascanii & Saxoniæ inferioris Duces eligerent Imperatorem, & titulo ArchiMareschalli ambo uterentur; id enim tale est, cujus falsitatem facilè deprehendet, qvi ex superioribus meminerit, usum ensis Mareschallici jam tum Bernhardo hæreditaria lege concessum fuisse, adeoqve auferri hujus posteris & tribui alii non potuisse; qvod idem de electorio jure est dicendum, utpote qvod privilegio scriptoq; jure à Rudolfo Habsburgio Albertinæ familiæ confirmatum erat, ac eam ob causam privari eò ex parte nullo modo poterat. Qvod enim de Erico* Cranzius *profert, jam duobus electionis interfuisse actibus, cùm Ludovicus Bavarus, & Güntherus Schwarzburgius eligerentur, id legitimè se non habuit, adeoqve in probationem allegari non debet, qvòd in partes tunc distracti Imperii Principes essent, ac plures uno eligerentur, cum Bavaro qvidem Fridericus Austriacus, cum Carolo IV. Schwarzburgicus. vid.* G. Spalatinus Chron. Saxon. tit. II. circ. fin.

§. XIII.

Jure itaqve dignitate Septemvirali auctus Fridericus est, & primus familiam potentiamqve Wettinensium Comitum, duobus jam tum Principatibus, Landgraviatu Thuringiaco & Marchionatu Misnico fundatam, novô Ducatus Saxonici incremento extulit evexitqve, qvanqvam, ut vices rerum humanarum ac vicissitudines sunt, non diu honoris novi fructus ferret, sed tertio Electoratus anno, id est, si rationes conficiendæ sunt, à Christo Servatore nato M. CCCC. XXVIII. † vitâ fungeretur.

† *Sunt, qvi animi mœrore acceleratam mortem scribunt, cùm maximam absente se suorum stragem ad Austiam* (Außig) *à Bohemis Ann. M. CCCC. XXVI. factam redux percepisset. vid.* Laur. Peccenstein Theatr. Saxon part. I. cap. II. pag. 147. *Conf.* Petr. Albinus Chron. Misn. rit. 16. & G. Fabricius lib. VII. or. Saxon. *qvi copiosè prælium exponunt, &* Laur. Faustus in Frider. bellic. p. 164. *Morti proximus gravissima Fridericum & Wilhelmum filios oratione, ad pietatis, pacis & concordiæ studium est hortatus, cujus summa apud* Fabricium cit. loc. *&* Math. Dresserum Millen. VI. part. II. pag. 423. *legi potest. Qvem acceperit sepulturæ locum, non uno modo traditur. Qvidam ut* Fabricius *& cum eo* Balt. Mencius, Laur. Faustus, Math. Dresserus *pluresve Altenburgum; Alii ut* Adamus Richterus in libro vom Stam und Ankunft des hochlöblichen Hauses Sachsen / *(qvi perperam etiam Ann. M. CCCC. XXXIX. mortuum tradit) Reinhartsbornium memorant. A qvibus rectè & convenienter discedunt* Laur. Peccenstein Saxon. Theat. part. III. pag. 5. *&* Petr. Albinus Chron. Misn. tit. 22 *dum*

Misenam

Misenam nominant. Etenim qvod de Reinhartsbornio Richterus scribit, id de alio, non de nostro Friderico, Balthasaris Landgravii Thuringorum nempe filio, est intelligendum, ut Albinus cit. loc. *notat, ac simul contra* Fabricium, *qvi Misenæ conditum Fridericum Bellicosum negat, rationes affert, qvibus contrarium demonstrat, ut de cadaveris in Capellæ Ducalis Anno M. DC. LXIX. auspicio* Serenissimi Electoris JOHANNIS GEORGII II. *instituta renovatione reperti notis taceamus. Ubi neminem admiratio subeat, celatum verum sepulturæ locum tunc temporis fuisse; consultò id factum est, ac metu Hussitarum, qvi partim sæpissimè jam tum Misniam aggressi erant, impetuqve eò factô detrimenta multa intulerant, partim adhuc odio Herois, qvi à principio motuum fortissimè ipsis restiterat, in cinerem ac ossa, si arcem occupâssent, sævituri credebantur. vid.* Schurzfleisch disp. de Marchia Misnens. *& conf.* Laur. Faustus in descriptione Germanica actorum Urbis Misnæ p. 65. *in qva diversus à sententia, qvam in* explicatione Stemmatis *posuit, Misenæ sepultum concedit.*

§. XIV.

Nihil itaqve hîc reliqvum est, qvàm ut in extremo operis pro Friderici Bellicosi Successore, Serenissimo Electore nostro JOHANNE GEORGIO II. vota suscipiam, & qvod pietas ac obseqvii ratio poscunt, supplex preces fundam. Foveat eum ac tueatur cum Conjuge, Filio, Nuru, Nepotibusqve Celsissimis Numen benignissimum; Servet Imperio, Patriæ, A-

QK Vc 1410

cademiæ, ſingulis, mihi, ac nova qvotidiè tantoqve Principe digna corporis ac animi incrementa addat, ut decus, ut gloria, ut firmamentum ſempiternum Electoratui aſſeratur. Cæterum ut uberior ſit diſputandi materies ac occaſio, ſeqventia ſubjungimus

COROLLARIA.

1. *Chriſtianiſmus Senecæ figmentum eſt.*
2. *Cato αὐτόχειρ fuit.*
3. *Imperium Orientis atqve occidentis reſpectu nexus civilis ab ſe invicem ſeparata ſunt.*
4. *Optima ad Principatum via eſt ſucceſſio.*

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-18049-p0048-6

ULB Halle 3
004 778 74X

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-18049-p0049-6

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-18049-p0050-7

Qk. XVI, 2.
Qk. XVI, 2.
Vc 1410

ELEC M
FRIDER SI
Indu

PI
Apud
Ord
Pri
M. JOH. hn /
Ad d. I.

T

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-18049-p0051-3